



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XXVIII. De relationibus diuinis, in quatuor articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

QVAESTIO XXVIII.

De relationibus diuinis, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de relationibus diuinis.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, Vtrum in Deo sint aliqua relationes reales. Secundo, Vtrum illae relationes sint ipsa essentia diuina, vel sint extrinsecus affixae.

Tertio, Vtrum possint esse in Deo plures relationes realiter distinctae ab inuicem.

Quarto, De numero harum relationum.

Ratio ordinis huius questionis ad precedentem, & articulum eius inter se.

Relationes diuinæ, ut ait S. D. in ultimo art. huius quest. fundantur in actionibus intellectus & voluntatis, quæ sunt processio verbi & amoris. Recto igitur ordiatur questio de processione sequitur questio de relationibus in quatuor articulos distincta: in quorum primo tractatur questio an est in secundo quid est in tertio & quarto queritur quomodo vel qualis sit diuina relatio: nam in tertio agitur de pluralitate siue numero relationum absolute, in quarto vero & ultimo tractatur de earum numero determinate, an scilicet sint plures vel pauciores quam quatuor: pertinet autem numerus ad quendam essendi modum & qualitatem late sumptam, prout contra quidditatem distinguitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo sint aliqua relationes reales.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Deo non sint aliqua relationes reales. Dicit enim Boet. in lib. de Trin. * quod cum quis predicamentum in diuinam vertit predicationem, cuncta mutantur in substantiam, quæ predicari possunt: & ad aliquid vel ad quodammodo non potest predicari. Sed quicquid est realiter in Deo, de ipso predicari potest. Ergo relatio non est realiter in Deo.

2 Præterea. Dicit Boet. in eodem lib. quod si in medio nullus est relatio in trinitate Patris ad Filium, & viri usque ad Spiritum sanctum, ut eius, quod est idem ad id quod est idem. Sed huiusmodi relatio est rationis tantum: quia omnis relatio realis exigit duo extremum realiter. Ergo relationes, quæ ponuntur in diuinis, non sunt reales relationes, sed rationis tantum.

3 Præterea. Relatio paternitatis est relatio principij. Sed cum dicitur, Deus est principium creaturarum, non importatur aliqua relatio realis, sed rationis tantum: ergo nec paternitas in diuinis est relatio realis. Et eadem ratione, nec alie relationes, quæ ponuntur ibi.

4 Præterea. Generatio in diuinis est secundum intelligibilem verbi processionem: sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, sunt relationes rationis: ergo paternitas, & filiatio, quæ dicuntur in diuinis secundum generationem, sunt relationes rationis tantum.

Sed contra est, quod pater non dicitur nisi à paternitate, & filius à filiatione: si igitur paternitas, & filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter pater aut filius, sed secundum rationem intelligentis tantum: quod est hæresis Sabelliana. &

Articulus Primus.

37

Respondeo. Dicendum, quod relationes quadam sunt in diuinis realiter. Ad cuius euentiam considerandum est, quid solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem. Quod non est in alijs generibus: quia alia genera (ut quantitas, & qualitas) secundum propriam rationem significant aliquid alicui inherens. Ea vero quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliqua res secundum suam naturam adinuenit ordinata sunt, & inuicem inclinationem habent. & Et huiusmodi relationes oportet esse reales. Sicut in corpore graui est inclinatio, & ordo ad locum medium. Vnde respectus quidam est in ipso graui respectu loci mediij: & similiter est de alijs huiusmodi. Aliquando vero respectus significatur per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri: & tunc est relatio rationis tantum. Sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus. Cum autem aliquid procedit à principio eiusdem nature, necesse est, quod ambo, scilicet procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant. & sic oportet, quod habeant reales respectus ad inuicem. Cum igitur processionem in diuinis sint in identitate nature (ut ostensum est *) necesse est, quod relationes, quæ secundum processionem diuinis accipiuntur, sint relationes reales.

Ad primum ergo dicendum, quod ad aliquid dicitur omnino non predicari in Deo secundum propriam rationem eius, quod dicitur ad aliquid, in quantum scilicet propria ratio eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per comparisonem ad illud, cui inest relatio, sed per respectum ad alterum: non autem per hoc excludere voluit, quod relatio non esset in Deo, sed quod non predicaretur per modum inherens secundum propriam relationis rationem, sed magis per modum ad aliud se habentis. &

Ad secundum dicendum, quod relatio, quæ importatur per hoc nomen idem, est relatio rationis tantum, si accipitur simpliciter idem: quia huiusmodi relatio non potest consistere, nisi in quodam ordine, quem ratio adinuenit alicuius ad seipsum secundum aliquas eius duas considerationes. Secus autem est, cum dicuntur aliqua eadem esse non in numero, sed in natura generis, siue speciei. Boet. igitur relationes, quæ sunt in diuinis, assimilant relationi identitatis: non quantum ad omnia, sed quantum ad hoc solum, quod per huiusmodi relationes non diuersificatur substantia, sicut nec per relationem identitatis.

Ad tertium dicendum, quod cum creatura procedat à Deo in diuersitate nature, Deus est extra ordinem totius creature, & nec ex eius natura est eius habitudo ad creaturas. Non enim producit creaturas ex necessitate sue nature, & sed per intellectum, & per voluntatem, ut supra dictum est. Et ideo in Deo non est realis relatio à ad creaturas, sed in creaturis est realis relatio ad Deum: quia creatura continentur sub ordine diuino, & in earum natura est, quod dependant à Deo. Sed processionem diuinam sunt in eadem natura. Vnde non est similis ratio.

Ad quartum dicendum est, quod relationes, quæ consequuntur solam operationem intellectus, in ipsis rebus intellectus sunt relationes rationis tantum: quia scilicet eas ratio adinuenit inter duas res intellectas. Sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, quæ sunt inter verbum intel-

168.
a
Etualiter procedens, & illud à quo procedit, non sunt relationes rationis tantum, sed rei. e quia & ipse intellectus, & ratio est quidam res: & comparatur realiter ad id, quod procedit intelligibiliter: sicut res corporalis ad id, quod procedit corporaliter. Et sic paternitas, & filiatio sunt relationes reales in diuinis.

Sensus questus.

AD INTELLIGENTIAM questus quatuor sunt obseruanda: duo nimirum ex parte subiecti: & totidem ex parte prædicati.

Primum ex parte subiecti est dictio illa *reales*, quæ ponitur ad differentiam relationum rationis, quæ etiam simpliciter & propriè relationes sunt. Secundum est maior & minor sunt diuini pluralis, quo relationum pluralitatem significatur inquiri.

Ex parte verò prædicati notandum primum est particula illa *sint in Deo* denotari modum essendi formaliter in Deo, & non virtualiter tantum. Secundo eisdem verbis significari questionem hic esse de relationibus ad intra, non autem de relationibus ad extra; de quibus abundè disseruit S. D. questione decimatercia, nec tales relationes sunt in ipso Deo secundum seipsum, sed Dei ad alia; hæc verò, de quibus hic loquimur, Deo conueniunt secundum seipsum, vt hic aduertit Cai.

Forma Textus.

CONCL. est. Relationes quadam sunt in diuinis realiter. Antequam probetur hæc conclusio, explicatur à Diuo Thoma quo ad dictionem illam *realiter*: ex cuius intelligentia pendet tota probationis efficacia: Declaratur autè ex duobus: Primum est vocem prædictam appositam hic esse, vt differentiam inter relationem & alia rerum genera in quibus vniuersa realia sunt, & nihil secundum rationem; Ad aliquid verò siuè relatio quadam habet realia, & quadam secundum rationem: quæ differentia ex alia nascitur, quia scilicet reliqua genera secundum propriam rationem significant aliquid alicui inherere: Ad aliquid verò secundum propriam rationem significat tantum respectum ad aliud. Secundò explicatur idem terminus *realiter* ostendèdo quid sit respectus realis & rationis; id autem ostendit distinguendo: Nam respectus (inquit) quandoque est in ipsa natura rerum, vtpotè quando aliqua res secundum suam naturam adinuicem ordinata sunt & inuicem inclinationem habent: & tales relationes oportet esse reales, sicut in corpore graui est inclinatio & ordo ad locum medium; quo fit vt respectus quidam sit in ipso graui respectu loci medij, & similiter de alijs huiusmodi. Quandoque verò respectus significatus per ea, quæ dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis vnum alteri, & tunc est relatio rationis tantum; sicut cum ratio comparat hominem ad animal vt speciem ad genus. Hæc explicatione præmissa S. D. probat conclusionem tali argumento: Quandoque aliquid procedit à principio eiusdem naturæ necesse est, vt ambo scilicet procedens & id à quo procedit, conueniant in eodè ordine, & consequenter oportet vt habeant reales respectus adinuicem: sed processionem in diuinis sunt in identitate naturæ; ergo necesse est, vt relationes quæ secundum processionem diuinæ accipiuntur, sint relationes reales, quod erat intentum. Maior relinquitur tanquam notæ. Minor autem patet ex his quæ dicta sunt in questione precedente articulo. 2 & 4. Eandem

A conclusionem probat S. D. optimo argumento ad oppositum scilicet sed contra.

Expofitio Textus.

MULTA sunt in hoc textu consideratione & explicatione dignissima: Primum est conclusionem æquè firma fide tenendà esse ac ipsum sanctissimæ Trinitatis mysterium; quod optimo argumento probat Turrianus, quo recentiores ferè omnes vtuntur: Argumentum est. In diuinis sunt tres personæ realiter distinctæ: sed distinguuntur per relationes; ergo illæ relationes sunt reales. Collectio euidentis est: Nam si illæ relationes essent rationis, per eas personæ non distinguenterentur realiter. Maior & minor sunt de fide; ergo conclusio est de fide. Maiorem esse de fide probatur ex illo. 1. Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo Pater Verbum & Spiritus sanctus; & ex Symbolo Athanasij: Fides autem catholica hæc est, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitatem veneremur &c. Quod etiam minor sit de fide, probatur ex decreto Concilij Later. quod refertur in capitulo firmiter de summa Trinitate, & fide catholica. Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta: nomine verò proprietatis personalis nihil aliud intelligi potest, quàm relatio. Eandem veritatem discernunt sacrum Concilium Flor. sess. 18. & 19. & Tolet. 7. & vnde cum can. 1. Alias eiusdem minoris & conclusionis probationes ex sacris litteris, Concilij & Patribus lege apud Zum. disput. 1. Val. super hoc a. & Suar. de Trinitate lib. 5. cap. 1. Secundum est relationes reales, de quibus hic loquitur S. D. esse relationes reales mutuas, quas solas in diuinis esse intendit probare: quod aperte significant verba illa, vtpotè: quando aliqua res secundum suam naturam ad inuicem ordinata sunt, & inuicem inclinationem habent &c. & idem assumitur apertius in maiori, cui minor subsumpta materiam indicat, siuè potius continet mutua relationis realis; Nomine verò ordinis seu inclinationis intelligimus ordinem, seu inclinationem fundamentalem, vt hic aduertit Cai. alioquin si intelligeretur ordo formalis, aut peteretur in argumento principium; quia ordo formalis idem est quod relatio: aut fundaretur relatio realis super alia relatione, quod est impossibile.

Tertium est mutuum illum ordinem & inclinationem, & multò minus mutuam relationem, non esse mutuam dependentiam propriè, & formaliter loquendo: alioquin Pater vt Pater est, dependeret à Filio; nam etfi bene dicat Ferr. in 4. contra gentes, capit. 14. §. Attendendum autem &c. esse relationis creatæ dependere à termino formali, tanquàm à causa sine qua non; In diuinis tamen vbi vnum & idem est esse vtriusque correlatiui, siuè relationis & termini, talis dependentia admittenda non est; alioquin idem à semetipso dependeret; Et quamuis vt in prima disputatione notat Zum. aliud sit vnam relationem ab alia dependere, vt paternitatem à filiatione, & aliud esse vnius relationis pendere ab esse alterius, & vtraque dependentia conueniat modo dicto ex Ferr. relationibus creatis: neutra tamen diuinis relationibus verè ac propriè congruit. Nam licet diuina paternitas & filiatio sint simul natura, adeò vt vna sine altera esse nō possit: neutri tamen conuenire potest nomen dependentiæ ab altera, tanquàm à causa sine qua non; aut quouis alio modo; quia dependentiæ nomen

nomen rei tantum conuenit, quæ sit indigentis A nature. Melius verò dici posset vtrique conuenire naturalem necessitatem simul existendi, non tam ex ipsius relationis natura, quam ex infinita perfectione diuinitatis. Videnda sunt quæ diximus de causa & conditione relatiuorum supra q. 13. a. 7. *Contr. vnica. §. 3. in fine.*

Relationis realis causæ propria. Quartum est relationem omnem realem esse inter res reales natura sua ad inuicem inclinatas siue ordinatas; existimandum est enim res omnes creatas sic à Deo fuisse dispositas, vt qualibet non in seipsa tantum esset absolute perfecta, verum etiam vt ex ea cum alijs adunata perfectio confurgeret vniuersi; quo fit vt qualibet res ex sui natura alteri consonet vt comparti ad perfectam integritatem vniuersi constituendam: quod est habere ad alteram inclinationem & ordinem fundamentalem, in quo posita est, vt alibi diximus, vniuersi perfectio: & ex quo sequitur realis & actualis vnus rei ad alteram relatio, non vna tantum sed multiplex, puta similitudo & dissimilitudo, identitas & distinctio, sursum & deorsum & alia quam plurimæ, iuxta rerum naturas ad inuicem conuenientes aut differentes, & earum fundamentales proportionem, quas habent in ordine ad vniuersi constitutionem. Ex his apparet hic non solum exemplariter explicatam fuisse relationis vtriusque naturam à D. Tho. vt voluit Torres, sed etiam exacte diffinitam.

Quantum est nomine rationis vnum alteri conferetis, hic significari intellectum quouis modo concipientem vnum in comparatione ad alterum. Modos autem comparatiuæ cognitionis explicat S. Tho. in 1. dist. 26. q. 2. a. 1. & de potentia q. 7. vt hic etiam notat Cai. quos omnes modos breuiter explicauimus supra q. 13. a. 7. in expositione textus, & ad tres præcipuos ibidem expressos à D. Tho. reduximus.

Sexum est relationes rationis causari non ab intellectu tantum humano vel Angelico, sed etiam ab intellectu diuino: cuius oppositum hic sustinere nititur Vasq. disputat. 115. cap. 2. contra quæ copiose disputat Balchazar Nauaretus quæst. 15. a. 3. *contr. 68. D. Th. supra q. 15. a. 3. ad 3.* expressè docet respectus ideales causari ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res; quod idem affirmat in 1. cont. gent. c. 54. in fine.

Septimum est relationes rationis secundum suum esse à solo intellectu causari, quia eorum esse consistit in intelligi; secundum autem eorum quasi proximam causam, & fundamentum à cæteris alijs potentijs, tam cognoscitiuis quam appetitiuis & motiuis produci, vt hic aduertit Cai. contra Scotum in primo distinct. 45. affirmantem non omnem relationem rationis esse ab intellectu secundum suum esse, sed aliquam etiam à voluntate & aliquam ab imaginatiua. Nec Scotus suffragatur defensor Vasq. disputat. 115. cap. 1. dicentis secundum Scotum relationem confurgentem ex operatione diuinæ voluntatis, nec esse realem nec esse rationis; Nam supponit Caietanus, quod alibi probauit, nullum dari medium inter ens reale & ens rationis: ex quo sequitur relationes consequentes operationem diuinæ voluntatis, cum reales non sint, esse verè & propriè relationes rationis, quas à solo intellectu fieri non solum hic probat Caietanus, sed etiam affirmat Scotus teste Vasq. Ripa alio modo ex verbis Scoti confutat eiusdem auctoris censuram. Argumenta verò Scoti probant posse relationem rationis fundamentaliter causari à voluntate: Nam cum ali-

quis desiderat pecuniam aut gemmas, vt emat agrum vestes aut cibum, ordinat pecuniam ad aliquid ad quod ex natura sua non ordinatur; quia gemma aut pecunia non est pretium rerum, nisi ex humana institutione, & ex tali ordinatione causatur relatio rationis quo ad proximum eius fundamentum, ita vt accedente actu intellectus sit in actu relatio.

Octauum est probatio conclusionis per argumentum ad oppositum, cuius forma hæc est. Si Paternitas & Filiatio non sunt in Deo realiter: sequitur quod Deus non sit realiter Pater aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum, quod est hæresis Sabelianæ. Probatur sequela: quia Pater non dicitur nisi à paternitate & Filius à filiatione. Ergo &c. Cui probationi sic obijcit Torres & post eum Molina. Deus realiter est Dominus creaturarum, & non per relationem realem, quæ sit in ipso sed per relationem rationis; Igitur ex hoc, quod Deus realiter est Pater à paternitate, non sequitur paternitatem esse relationem realem; Respondetur Deum diuersa ratione dici Dominum & Patrem: Nam Deus dicitur realiter Dominus, non à relatione Dominij, sed quo ad fundamentum & rationes fundandi relationem; quæ ratio fundandi est vera actio realis, qua Deus realiter attingit creaturam. Dicitur autem realiter Pater quo ad relationem ipsam paternitatis, per quam constituitur in esse Patris, & non quo ad aliquid aliud; quo fit vt optimè sequatur relationem paternitatis esse relationem realem; Vnde ad argumentum negatur antecedens. Posset secundo dici D. Th. supponere communia inferius explicanda, nimirum diuinas personas non posse distinguere realiter per absolutum, sed tantum per relationes, & eas relationes quæ sunt in diuinis esse mutuas, vt ante diximus, quales non sunt relatio dominij & creationis in Deo; quibus suppositis euidenter est consequentia.

Postremo videnda sunt argumenta quæ proferrunt & soluunt Zum. & Val. contra conclus. D. Thom.

CONTROVERSIA VNICA.

An in predicamento relationis inueniatur aliquid reale, & aliquid rationis: in alijs verò id tantum quod reale est?

STATUIT S. D. differentiam inter relationes & alia genera: quod in ijs quæ sunt ad ad dubitandi, liquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantum, non secundum rem, quod alijs generibus minimè conuenit: Nam cætera rerum genera, vt quantitas & qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inhærens, non autem ea quæ dicuntur ad aliquid sed respectum solum ad ad significant. Circa quam differentiam, & eius rationem continentem aliam differentiam, non modica est inter expositores dissensio tam de veritate, quam de sensu. Rationes profert Caietanus. Sunt verò quatuor rationes duæ circa primam differentiam, & totidem bitandi ex. circa secundam. Prima ratio contra primam differentiam ex parte relationis est. Ad aliquid vt est vnum genus à cæteris propria sua ratione formali distinctum, pars quædã est ac modus entis realis diuini in decem genera; igitur est ens reale for-

Obiectio Turriani, & Molina. Sol.

Rationes Senus quæst. & sententia expositum, Quæstio, rationes duæ, Caietana Prima.

le formaliter; igitur nihil secundum rationem A tantum inuenitur in eo: Nec dici potest relationem, de qua loquitur hic S. D. sumendam esse, prout est commune quoddam analogum ad omnia relatiua; nam glossam hanc textus aperte reijcit distinguens ad aliquid contra alia genera.

Secunda. *Secunda ratio* est ex parte reliquorum generum, in quibus videtur aliquid esse secundum rem, & aliquid secundum rationem: Nam rosa non existens sed mente concepta substantia est secundum rationem, & triangulus abstractus quantitas quædam est & sic de alijs, & tempus etiam ens rationis formaliter est secundum S. Thom. ergo non est proprium relationis habere aliquid secundum rem & aliquid secundum rationem. *Tertia ratio* dubitandi est circa secundam differentiam ex parte relationis; Nam genus relationis ex propria ratione formali non significat solum ad, sed ad reale; alioquin pars entis realis non esset formaliter. *Quarta ratio* dubitandi est ex parte reliquorum generum; quoniam actio secundum propriam rationem non significat aliquid alicui inherens, ut ait S. D. de potentia, q. 8. a. 2. igitur non omne aliud genus accidentis significat aliquid secundum propriam rationem inherens alicui.

Syl. dicit septem. *Primum*: Ratio ad non est propria generis relationis: quia cõuenit relationibus quæ sunt extra genus scilicet diuinis, & alijs non realibus; & licet relatio per esse ad distinguatur ab alijs generibus, non tamen ab omnibus alijs rebus; & ideo non est eius ratio propria. *Secundum*: Sustinendo hic sermonem esse de ad aliquid ut est vnum decem generum, ratio eius est habere ad inter extrema realiter ordinata. *Tertium* est relatio quo ad suam rationem formalem non est ens reale inherens, nec ut ens inherens pars entis realis secundum se, sed ratione fundamenti tantum, à quo habet realitatem absolute inherentem: & per hoc soluit primam rationem. *Quartum* quo soluit secundam rationem est: In ad aliquid sunt aliqua entia rationis quæ nunquam possunt esse realia, ut relatio eiusdem ad se: non autem est simile de rosa intellecta, & sic de alijs. *Quintum* quo satisfacit tertiæ rationi est: Ad predicamentale dicit respectum realem, non tamen sequitur ergo dicit realitatem inherentem, ut alia genera accidentis, sed realitatem ad. *Sextum*: Actio ex propria ratione dicit esse in scilicet in patiente, & egressum ab agente, cum segregatio- ne ab eo & receptione in passio, & non dicit ad, eo modo quo relatio quæ concipitur inter duo nulli eorum inherens. *Septimum*: Melior solutio est dicere hic sermonem esse de ad aliquid, ut est genus analogum, & de cæteris generibus ut sunt analogæ sicut substantia dicta de Deo, & quantitas dicta de corporali & spiritali, & similiter qualitas de substantiali & accidentali, & similiter actio.

Torres & Zum. affirmant hoc postremum dictum quo ad primam partem esse probabile, in quo etiam Mol. Sylu. sequitur: & addit doctrinam hanc D. Thom. fortassis non esse veram vniuersim: quia numerus Angelorum non est quantitas realis sed rationis, & numerus etiam tonorum qui in eodem numero sono ab arte musica considerantur, non est quantitas realis.

Bannus tria dicit: *Primum*: Sanctus Thom. non loquitur de ijs, quæ sunt ad aliquid, ut est vnum predicamentum condistinctum ab alijs, sed ut est analogum quoddam ad om-

nia relatiua; Ad obiectionem autem Caietani respondet: quod licet Sanctus D. loquatur de ad aliquid, ut condistinguitur ab alijs generibus, tamen secundum ipsum nomen ad aliquid consideratur analogia quædam, quatenus ad aliquid significat principaliter ad aliquid reale, secundario verò ad aliquid rationis; quod quidem non competit alijs generibus, etiam analogice sumptis nominibus substantiæ, quantitatis, qualitatis, actionis &c. non enim est substantia rationis, neque quantitas, aut qualitas, aut actio rationis, sicut est relatio rationis. *Secundum* eius dictum est: Sententia Caietani, præterquam quod nimia subtilitate videtur obscura & intelligibilis, falsa est. *Tertium*: Nomen relationis, non vnico conceptu formali dicitur de relatione reali prædicamentali, & de relatione rationis, sicut non potest dari vnus conceptus communis, etiam analogice enti reali & enti rationis.

Val. tria dicit: *Primum*: Relatio diuina secundum conceptum formalem communissimum significatum nomine relationis abstrahit à reali & rationis. *Secundum*: Si loquamur de relatione reali obiectione significata per nomen, impossibile est ut illa abstrahat à reali & rationis. *Tertium*: D. Th. quando dicit relationem abstrahere secundum propriam rationem à reali & ab inherencia, intelligendus est de ratione formaliter per nomen relationis significata, non obiectione: & eodem modo interpretanda sunt quæ disputat hoc loco Cai.

Vasq. relata sententia Caiet. sic suam explicat in secundo capitulo: Mihi semper placuit opposita sententia nimirum ad, quod conuenit relationi reali & est modus tertij prædicamenti, & quod conuenit diuinæ relationi, nec esse quid rationis, nec commune rationis & reali: Sed verè esse reale & inherens, solamque vocem communem esse vtrique ad rationis videlicet & reali.

Suar. lib. 5. de Trinitate capitulo 1. tria dicit: *Primum*: Falsa est sententia Cai. & Cap. dicentium relationes diuinas secundum esse ad, non esse aliquid reale. *Secundum*: Mens D. Th. solum fuit docere per rationem excogitari aut fingi aliquid simile prædicamento ad aliquid, quod suo modo intellectum est verum, scilicet secundum quandam proportionalitatem, non verò secundum vniuocam rationem, immò nec secundum realem conuenientiam etiam analogam. *Tertium* est aliud fundamentum dictorum auctorum, nempe, esse ad, posse ita præcindi, ut non includat esse in.

Oppositam sententiam habent Capr. in 1. dist. 33. Cai. super hoc a. quem sequuntur Ferrariensis in 4. cont. gent. cap. 14. Iauellus, Torres, Zumellus & Ripa super hoc a. & quia sententia hæc subtiliter punctum veritatis attingit & mentem explicat D. Tho. ideo diligenter est ex proprijs & legitimis fundamentis explicanda, & ex eisdem reliquæ consutanda, ex quibus tamen erunt nonnullæ probabiles sustinenda.

Considerandum est primo, fieri hoc in loco à D. Resolutio. Th. comparisonem relationis ad cætera prædicamenta secundum proprias horum & illius rationes formales: propria verò ratio relationis est ad aliud se habere; quod dupliciter accipi potest, ut hic significat Caietanus & explicat Ferrariensis in dicto capitulo, & post eum Torres, Zumellus, analogæ re- & alijs. Vno modo absolute siue in generali & illi- mitatè, & sic ad aliud se habere nihil significat realibus & nisi

nisi ad in quantum ad, estque propria ratio prædicamenti relationis, eo modo quo ratio quæ uni alicui soli conuenit inter aliqua plura, potest illius dici propria. Soli namque relationi inter omnia prædicamenta conuenit hæc formalissima ratio, quæ est ad aliud se habere; quæ ratio nec includit nec excludit modum accidentis, aut substantiæ, aut entis realis, aut rationis, sed ab his omnibus abstrahit: & ideo nuncupatur communis, illimitata & absoluta; quod ex singulis relatiuorum modis perspicue patet: nam relationes omnes reales prædicamentales suum habent ad, quod etiam conuenit relationibus diuinis & relationibus rationis. Quamobrem, licet hæc sit propria ratio prædicamenti relationis modo dicto, non est tamen eius integra, totalis & adequata ratio: tum quia, ut dictum est, conuenit etiam relatiuis extra prædicamentum existentibus: tum etiam, quia non includit modum specialem constitutum relationis prædicamentalis: sicut uita licet sit hominis propria ratio, prout distinguitur a non uiuentibus, non est tamen illius ratio totalis; quia deest animalitas & rationalitas quibus hominis natura completur. Igitur uniuersis relationum modis commune est analogice ad, in quantum ad, eo modo quo ens commune est enti reali & rationis, enti finito & infinito: quam Analogiam alibi probauimus ex Arist. 4. Meth. tex. 2. ubi prædicationem entis analogam extendit ad negationes, priuationes, & non entia, quatenus induunt modum entis, ut patet ibidem: constat autem non entia sic concepta ad latitudinem entis rationis pertinere. Alio modo propria ratio relationis, quæ est ad aliud se habere, sumi potest contracte siue limitate ad talem essendi modum, quatenus scilicet importat esse & dici ad aliud ex natura rei realis, nimirum talis accidentis vel substantiæ in qua fundatur relatio, & hoc modo dicitur propria ratio velut integra & completa diffinitio relationis prædicamentalis, complectens id quod commune est omnibus relationibus etiam non prædicamentibus scilicet ad, & quod speciale est prædicamenti relationis, uidelicet esse reale, & inclinationem siue ordinem realem, quod supra diximus esse fundamentum & causam realis relationis: Est igitur hæc propria ratio relationis prædicamentalis, tanquam dicens ultimum completium prædicamenti ad aliquid, siue relationis prædicamentalis; nam quatenus includit accidens, distinguit relationem a prædicamento substantiæ: quatenus autem dicit ordinem ad aliud ex natura rei prouenientem, facit completè & ultimatè differre a ceteris prædicamentis accidentium; nam relatio prædicamentalis secundum propriam & integram rationem, dicit modum accidentis, qui est inhære substantiæ, per modum referentis ad aliud in natura rei fundatum, quem modum consequenter important omnes illæ relationes, quæ ex proprijs rationibus reales sunt, quales sunt omnes & singulæ species prædicamenti relationis, ut paternitas & filiatio. Cum igitur ait S. D. relationem secundum propriam rationem sui generis non dicere aliquid inhærens: non loquitur de ratione totali & integra relationis prædicamentalis; nam hæc, ut diximus, includit modum accidentis, qui est inhære substantiæ, & fundamentum reale, quod aliquid ponit in re: Interpretatus est igitur de propria ratione iuxta priorè sensum, nimirum ut dicit absolute & illimitate ordinem ad alterum, id est, de ad in quantum ad: quæ ratio amplissima est & communis analogice cuilibet re-

Ratio incompleta relationis.

Ratio completa relationis prædicamentalis.

Intentio S. Thom.

lationis modo. Non ergo significat S. Th. simpliciter & absolute loquendo, in prædicamento relationis inueniri aliqua quæ realia non sint, sed rationis tantum: hoc enim falsum est, ut efficaciter probat præmissa ratio dubitandi; sed mens eius est asserere in prædicamento relationis considerato quo ad id, quod in eo formalissimum est, uidelicet, quo ad hoc, quod est se habere ad aliud, quod ut sic abstrahit à reali & rationis; & utrique commune est analogice, inuenitur aliquid quod est rationis tantum; quod non est inueniri absolute in prædicamento relationis, sed in eo tantum sic considerato scilicet quo ad communissimam & illimitatam eius rationem, quæ prædicamentum ipsum excedit.

Secundo obseruanda est ex Cai. differentia inter relationem & reliqua rerum genera; quod relatio formalissime sumpta, scilicet quo ad propriam rationem in priori sensu, quasdam habet partes subiectiuas, quibus conuenit esse obiectiuum tantum in intellectu, & repugnat esse in rerum natura; quo fit ut addendo relationi hoc quod est esse rationis, vel in ratione, non sit conditio diminuens; Nam relatio rationis verè & proprie relatio est à reali relatione distincta: reliqua uero prædicamenta, formalissime sumpta, nullas habent partes, quibus conueniat esse obiectiuum tantum in intellectu, & repugnet esse in rerum natura; nam rosa secundum rationem, non est verè & proprie rosa; neque Homerus in opinione, verè & proprie Homerus est; nec rosa in esse natura, & in esse rationis duplex est rosa, sed una tantum & eadem secundum diuersos essendi modos, nimirum simpliciter & secundum quid. Quare distinguendum est dupliciter aliquid dici ens rationis: uno modo per se, & ex natura sua: alio modo per accidens, quatenus, scilicet à ratione cognoscitur: priori modo relationes rationis entia rationis sunt; posteriori uero modo rosa in hyeme apprehensa, mathematica abstracta, Homerus in opinione entia rationis sunt: non quidè proprie & obiectiue, sed subiectiue, & denominatiue, quatenus, scilicet in ratione tanquam in subiecto talè habent essendi modum, scilicet esse cognitum; sed tamen secundum se & obiectiue ac quidditatiue sumpta, entia realia sunt realitate essentia, de qua multa diximus supra q. 3. a. 4. Contr. 1. S. Th. hic loquitur de ijs, quæ per se ex natura sua sunt entia rationis: Et quamuis tempus completiue quodammodo sit à ratione, non est tamen à ratione simpliciter; cum absolute sit ens reale in rerum natura, quamuis eius discretio & numeratio sit ab anima, ut dicitur in quarto Phys. Et quemadmodum in relatione prædicamentali prædictam duplicem rationem propriam consideramus, ita etiam in relationibus diuinis, quarum respectus, etsi verè & simpliciter sint reales, secundum tamen prædictam formalissimam rationem communem analogice omnibus relationibus, nec reales sunt nec rationis.

In prædicamento relationis non sunt entia rationis.

Offenditur differentia prædicamenti relationis ab alijs, quo ad habere, aut non habere partes secundum rationem; quo ad signficare aliquid alicui inhærens, vel respectu ad aliud.

Ens rationis duplex scilicet per se, & per accidens.

Postremo aduertendum est relationis comparationem ad cætera genera posse tripliciter intelligi: primò quo ad omnia genera simpliciter, quæ sunt substantia, quantitas, qualitas &c. & hoc modo differentia illa secunda, quod alia genera significant aliquid alicui inhærens, &c. non est intelligenda de inhærentia formaliter & proprie, sed de quouis essendi modo significante ex sua ratione formali esse in rerum natura; per hoc enim distinguuntur substantia, & cætera rerum genera à relatione, quæ ex sua ratione formali nullum esse significat in rerum natura, sed habitudinè tantum ad aliud; non enim substantia significat aliquid

Triplex comparatio relationis ad alia genera.

inharens, sed aliquid subsistens in rerum natura; Et hanc comparisonem ac differentiam videtur etiam significare S. Th. in exemplis quantitatis & qualitatis, quæ dicit significare secundum propriam rationem aliquid alicui inharere. Constat autem propriam rationem quantitatis & qualitatis, non consistere in inesse, quod omnibus generibus est commune; igitur consistit in tali essendi modo, quod ex propria sibi ratione formali ponit aliquid in rerum natura; & eadem est ratio de ceteris prædicamentis à relatione diuersis. *Secundo* potest intelligi dicta comparatio & differentia, quo ad genera tantum accidentiū; & hoc modo intelligenda est inherencia propriæ & formaliter; & sumenda est propria ratio reliquorum prædicamentorum, non quæ singula cōstituantur & distinguuntur, sed quæ simul omnia primò differunt à relatione formalissimè sumptas; hoc autem est inesse quod intrinsecè clauditur & imbitur in quolibet dictorum prædicamentorum, modo sicut entitas intime clauditur in singulis rerum modis & differentiis. *Tertio* modo potest intelligi dicta comparatio quo ad cætera genera tantum absoluta, quæ tria tantum sunt scilicet substantia, quantitas & qualitas, de quibus duobus vltimis tantum exemplum asseritur in textu; & idè ad absoluta tantum videtur fieri comparatio. Vnde etiam in 1. dist. 26. q. 2. a. 7. sic loquitur S. Tho. & ex hac ratione non habet scilicet relatio, quod ponat aliquid in eo de quo dicitur; sicut alia forma absoluta ex ipsa sua ratione habent, quod aliquid in eo de quo dicuntur ponant. Vbi comparatio fit expressè relationis ad formas tantum absolutas. Ex prædictis tribus dicendi modis valde probabilibus, & rationi consonis, primum amplectitur Caiet. vt optimum, secundus videtur placuisse Ferr.

Conclusio-
nes dedu-
cuntur
de, & pro-
batur.

PRIMA CONCL. Relatio prædicamentalis & etiam diuina, quo ad id præcisè quod est illi proprium id est formalissimum, videlicet ad, quo primò à cæteris prædicamentis distinguitur, nec est ens reale neque rationis, sed abstrahit ab ente reali & rationis. Probatur; Nulla relatio est realis secundum eam rationem præcisè quæ conuenit cum relationibus rationis; sed omnis relatio realis conuenit cum relationibus rationis in hoc, quod est esse vel se habere ad aliud; ergo secundum hoc non est realis, id est ex eo non habet vt sit realis. Maior probatur; quia alioquin relatio rationis esset ens reale. Minor patet ex dictis, & ex diffinitione cōmunissima relationis in prædicamentis, quæ conuenit etiam relationibus rationis. Hanc conclusionem probat Paulus Soncinas in 5. Meth. q. 36.

SECUNDA CONCL. Relatio prædicamentalis secundum propriam rationem formalem, quæ est ad aliud se habere, contrariè suæ limitatè sumptam ad tale mentis modum, quatenus scilicet importat esse & dicit ad aliud ex natura rei realis inexistens subiecto, est ens reale constituens vnum prædicamentum ab alijs distinctum. Hæc concl. patet ex dictis & ex Arist. in 5. Meth. in cap. de ente, vbi relationem hoc modo sumptam connumerat cæteris partibus entis realis; & probari potest ex differentia inter relationes reales & relationes rationis, non semel à nobis explicata.

TERTIA CONCL. Differt prædicamentum ad aliud ab alijs, quod in prædicamento ad aliud inuenitur aliquid secundum rationem tantum, & non secundum rem; in alijs vero nullum est ens rationis. Intelligenda est hæc conclusio de ad aliud quo ad id, quod est formalissimum scilicet rationem ad, quæ non est integra ratio huius prædicamenti, & sequitur euidenter ex prima & ex præia-

etis fundamentis. Vnde absolute & simpliciter loquendo non est dicendum in prædicamento relationis poni relationes rationis; quoniam prædicamentum relationis dicit integrā rationem relationis; nec D. Th. absolute loquitur, sed cū addito scilicet secundum propriam id est formalissimam rationem.

QUARTA CONCL. Quamuis relatio prædicamentalis secundum suam completam & integram rationem vniuoca sit, secundum tamen rationem ens formalissimam scilicet ad inquantum ad, quæ non est illius completa ratio, non est vniuoca sed analogica ad relationes reales & rationis. Probatur; quia ad inquantum ad, excedit prædicamentum relationis & extenditur ad vniuersas relationes tam reales quam rationis, quibus omnibus hoc ipso quod verè ac propriè relationes sunt, conuenit ad aliud esse; enti verò reali & rationis, nihil est commune vniuocum sed analogum, vt constat ex allegato Philosophi testimonio; ex quo sequitur probabilem immò veram esse sententiam Syluest. & eorum qui dicunt hic sumi à D. Th. relationem analogicè, loquendo scilicet de relatione quo ad id quod in ea est formalissimum, scilicet ad inquantum ad.

POSTREMA CONCL. Prædicta abstractio & communitas, intelligenda est tam quo ad conceptum obiectiuum, quam formalem. Probatur; Conceptus formalis & conceptus obiectiuus adæquatè sibi correspondent; ergo si conceptus formalis relationis abstrahit à reali & rationis, abstrahit etiam obiectiuus, & si obiectiuus non abstrahit, nec etiam formalis. Antecedens patet; quoniam representatiuum per se primò, & eius per se primò representatum, sunt æqualis extensionis, vt patet inductiuè & ex terminis; constat autem conceptum formalem esse per se primò representatiuum conceptus obiectiuus, tanquam per se primò representati; ergo. Si verò per conceptum formalem intelligamus rationem formalem obiectiuam relationis, vt relatio est, manifesta est contradictio in dictis Val. sic enim idem erit conceptus formalis & obiectiuus; ex quo patet sententiam Val. non posse in proprijs terminis sustineri; cum tamen prædictus expositor affirmet sententiam Cai. non aliter posse esse verā, nisi in prædictis terminis & cū prædicta distinctione.

AD RATIONES autem dubitandi in principio positas iam quid sit dicendum perspicue patet. Ad primam enim, & tertiam simul dicitur relationem prædicamentalem secundum suam integram rationem formalem esse ens reale & significare ad reale; sed secundum suam rationem formalissimam & communissimam, significat tantum ad inquantum ad, abstrahens à reali & rationis, communitatem habens analogicam ad respectum realem & rationis, & secundum hanc rationem sic præcisè sumptam inuenitur in prædicamento relationis aliquid reale & aliquid rationis.

Ad secundam iam diximus in alijs prædicamentis non inueniri aliqua, quæ per se & ex natura sua sint entia rationis.

Ad vltimam respondetur actionem esse formā absolutam, quæ est agentis perfectio, & in eo ex parte rei est, & habet vt significetur vt inherens; licet quo ad modum significetur vt egrediens; relatio verò tam ex parte rei, quam ex parte modi est & significatur vt in aliud tendens.

CONTRA primam concl. argum. Vasq. Primò. Cont. 1. cōc. D. Thom. cum ait relationem solum significare obiectum. Vasq. 1. re respectum, qui aliquando est in rerum natura aliquando in solo intellectu, nō loquitur de ratione

Responde-
tur rationi-
bus dubita-
di, & pro-
ponitur, ac
soluuntur
expositorū
argumenta.
Ad 1. & 3.

Ad 2.

Ad 4.

tionem significata, sed de nomine relatè significata; nam ratio significata non significat respectum sed est respectus ipse; dicit autem respectum tunc esse realem, quando est inter ea, quae natura sua ad inuicem ordinantur; Ergo sentit illud ad, quod est inter ea quae inuicem ordinantur, esse reale quamuis nomine communi significetur. *Resp.* admissio toto argumento nihil concludi aduersus nostram primam conclusionem, sed confirmari secundam. Nam licet sermo sit de nomine relationem significante, quo ad eius rationem propriam; vtrumque tamen commune est analogice scilicet nomen & ratio, ad relationem realem & rationis, quo ad id quod est in vtraque formalissimum: licet ratio relationis praedicamentalis & diuinæ completè sumpta sit realis, vt probat S. Th.

Solut.

Obi. 2.

Secundò; Esse ad praedicamenti realis ita est modus intrinsecus huius praedicamenti, vt à ratione illa in, quae est in omnibus praedicamentis, etiam cognitione abstrahi aut separari non possit; Ergo ea ratione est quid reale & inherens. Assumptum probatur: Aut nomen accidentis analogice significat nouem praedicamenta, aut vniuocè: Si primum, non potest esse vna ratio eo nomine significata communis nouem praedicamentis; sic enim, cum illa esset vna & tota integrè in singulis inferioribus vniuocè significaretur. Conseq. probatur; quia haec est diffinitio vniuocorum: Si verò dicatur nomen accidentis significare vniuocè nouem praedicamenta, nihilominus ratio illa ad praedicamenti realis non poterit sine aliqua ratione in cogitari; Nam accidens, quod illis ponitur commune vniuocum, debet esse completum, prater quòd datur etiam ratio accidentis incompleta, quae de omnibus differentijs & modis intrinsecis ita praedicatur, vt essentialiter illis conueniat, neque cum illis compositionem faciat: igitur illa ratio ad semper includit rationem in, quae licet hac dictione ad non exprimitur, non potest ea audita non statim intellectu apprehendi. *Resp.* antecedens verum esse de ad praedicamenti realis limitatè sumpto, non autem de ad formalissimè & illimitatè accepto. Ad probationem dico primò, nomen *accidentis* analogice significare nouem praedicamenta: Ad impugnationem respondeo rationem accidentis vnam tantum proportionaliter & non simpliciter esse in singulis ex nouem praedicamentis, & ideo non sequi rationem illam vniuocè significari. Secundò dico hoc argumentum tantum probari ad praedicamenti relationis limitatè sumptum esse reale & includere inesse, non autem id probari de eodem ad praecisè & illimitatè sumpto. Tertiò dico nec etiam ad reale praedicamenti, vt ad reale est, includere formaliter in; Nam alia est formaliter realitas ad, & alia realitas in; haec enim dicit ordinem ad subiectum, illa ad terminum; hac secundum D. Th. in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1. & secundum veritatem est absoluta, illa relatiua, vt aduertit etiam Cai. in a. 1. seq. Et quamuis ens ob sui maximam vniuersalitatem includatur formaliter in omnibus rerum modis & vltimis differentijs; non est tamen eadem ratio de accidente respectu nouem generum aut cuiusvis analogi respectu suorum analogorum, quorum determinatiua suè modi praecisè sumpti non minus excludunt à suo conceptu formali rationem communis analogi, quam differentiae rationem generis: Nam licet analogum, cum non habeat conceptum vnum simpliciter, sed proportionaliter tantum, claudat in suo conceptu ana-

Sol.

logata, & corum modos distinctiuos, vt sunt proportionaliter vni; non tamen sequitur è contra, modos illos distinctiuos in seipsis claudere formaliter ratione communis analogi; alioquin modus vnius analogati includeret formaliter modum alterius; quoniam vtriusque modus clauditur in formali conceptu communis analogi.

Tertiò; Audita voce ad, non potest intellectus non concipere ordinem vnius ad aliud; iam ergo apprehenditur ordo vt est alicuius & ad aliud; sed vt est alicuius habet rationem in; ergo nullo modo sine ratione in, ratio ad potest cogitari. *Resp.* antec. falsum esse de ad etiam reali, formaliter loquendo; Nam, vt ante diximus, realitas ad est alia formaliter à realitate in, & consequenter alius est illius & alius huius conceptus.

Contra eandem concl. argum. Ban. Nullus conceptus potest esse communior quam conceptus entis: sed nullus conceptus entis potest significare aliquid commune enti reali & enti rationis; ergo neque vllus conceptus relationis potest significare aliquid commune relationi reali & relationi rationis; Conseq. est euidens cum maiori. Minor probatur; quia ens reale diuiditur in decem praedicamenta, tanquam commune analogice, quod intrinsecè & essentialiter includitur in ipsis proprijs modis, per quos decem rerum genera sunt primò diuersa; ergo nihil ita proprium considerari potest in aliquo genere entis realis, in quo non includatur intrinsecè & essentialiter ens reale; est ergo pura imaginatio, quod proprius modus distinctiuus praedicamenti ad aliquid abstrahat ab ente reali. *Resp.* falsam esse minorem propositionem: Ad probationem dico modum proprium relationis limitatè sumptum includere ens reale: modum autem proprium relationis formalissimè & illimitatè sumptum, non includere ens reale & esse vniuersalius quam ens reale relatiuum; cum extendatur etiam ad ens rationis relatiuum: includit tamen ens commune analogice ad ens reale & rationis; & per hac latè superius explicata conciliatur apparens illa cōtradictio, quam Ban. imponit Cai. Secundò dico quòd ens reale quatenus ens praecisè & formalissimè commune est enti reali & rationis, licet vt ens reale non sit commune ad ens rationis, vt bene probat argumentum.

Bannes obi. con. eandem concl.

Contra eandem conc. argum. Suar. In relatione reali praesertim diuina nihil est, quod ad veritatem entis non pertineat, maxime ex his, quae intrinsecè pertinent ad veritatem & realitatem illius mysterij: Sed ipsum esse ad vnius personae respectu alterius intrinsecè pertinet ad veritatem illius mysterij; ergo relationes diuinae sunt reales secundum esse ad in quantum ad. Maior probatur; quia alias mysterium hoc magna ex parte esset per rationem cōfictum; Minor autem; quia, alioquin relatio vt relatio non multiplicaret Trinitatem. *Respond.* maiorem duplicem habere sensum. Primus est, vt omne quod est in relatione reali praesertim diuina secundum rem, aut etiam secundum propriam rationem formalem limitatè sumptam, sit reale, & sic verissima est. Secundus est, vt omne quod est in relatione reali ac praesertim diuina, sit reale secundum propriam rationem formalem illimitatè sumptam, & sic falsa est. Ad probationem negatur consequentia. Nam sequitur tantum posse in relatione reali etiam diuina concipi rationem formalissimam & communissimam relationis, quae dicitur analogice de relatione reali & rationis; sicut in omni ente reali etiam

Suar. obi. eandem ob.

Sol.

iam diuino vt ens est, possum concipere ratione entis communissimam analogice dictam de ente reali & rationis; nec tamen sequitur entitatem realem & diuinam, esse per rationem confictam; & per hoc soluitur alterum eiusdem auctoris argumentum, quod procedit de ad diuinæ relationis limitatè sumpto, siue vt tale est .f. reale diuinum.

Cont. eandem Ob. Molina. Contra eandem conclus. quatenus negat in alijs prædicamentis inueniri aliquid reale & aliquid rationis; argumentatur Mol. Numerus Angelorum non est quantitas realis sed rationis, numerus etiam tonorum, qui in eodem sono ab arte musica consideratur, non est quantitas realis; ergo. *Solut.* primò falsum esse antecedens de numero numerato, vt patet ex D. Tho. *infra q. 30. ar. 3.* Secundo dico hæc non esse rationis per se & ex natura sua, sed per accidens. Tertiò dico hæc non esse rationis obiectiue sed subiectiue tantum; numerus autem tonorum videtur esse rationis, non singulariter sed completiue tantum, sicut tempus ad quod pertinere videtur prædictus tonorum numerus.

CONTRA secundam concl. sunt argum. Aur. quæ refert & soluit Zum. *diff. 2. ex Capr. in 1. dist. 30. q. 1.*

CONTRA tertiam conclusionem militat argum. quæ contra primam conc. relata fuerunt & soluta.

Cont. vlt. concl. Obi. CONTRA vltimam conc. argum. Valsq. Enti reali & enti rationis non potest esse ratio aliqua communis obiectiue existens in intellectu. Ergo. Antecedens probatur; quia talis ratio, neq; potest esse realis, neque conficta ab intellectu. Et confirmatur ex Caiet. de analogia nominum dicente non esse aliquem communem conceptum analogatis, sed ipsa proximè significari eodem nomine. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. Ad probationem dico rationem illam non esse realem, neque rationis simpliciter, sed esse rationem entis realis & entis rationis vt proportionaliter similem & vt talem intellectui obiectam; nam posito vtroque ente secundum vtriusque modum, eo ipso ponitur vnitas proportionalitatis inter vtrumque, de qua intellectus conceptum vnum proportionaliter format: ita vt naturæ entis realis & entis rationis vt obiectæ intellectui, tanquam proportionaliter similes sint ipsemet conceptus obiectiui proportionaliter vnus, & communis vtriusque entis naturæ siue vtrique enti; species autem ab intellectu formata ad tales naturas sic proportionaliter vnas representandas, est conceptus formalis, qui vt representatiue eandem habet vnitatem, licet vt res est sit vna numero qualitas.

Per prædicta soluitur etiam quoddam argumentum Val. de conceptu relationis obiectiui.

Primum argumentum & solutio eius in forma, & explicatio ac defensio.

PRIMUM argum. S. D. est. Dicit Boetius in *lib. de Trin.* Cum quis prædicamenta in diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in substantiam, quæ prædicari possunt: ad aliquid verò omnino non prædicatur: sed quicquid est realiter in Deo, de ipso prædicari potest; ergo relatio non est realiter in Deo. *Responsio est.* Prædicari contingit dupliciter: Vno modo per modum inherētis; alio modo per modum ad aliud se habentis: Relatio secundum propriam rationem non prædicatur primo modo; quoniam eius propria ratio non accipitur per comparatio-

nem, siue ordinem ad illud cui inest relatio, sed per respectum ad alterum: & ideo prædicatur per modum ad aliud se habentis. Maior vera est de primo modo prædicationis. Minor vera est sub distinctione scilicet primo, vel secundo modo.

Ad cuius responsionis euidentiam considerandum est PRIMO rem aliquam ideo prædicari de alia, quia inest ei; quamobrem de ratione prædicati est, vt habeat ordinem ad illud, de quo dicitur: relatio verò secundum propriam rationem relationis nō habet ordinem ad subiectum in quo est, sed ad terminum, vt paternitas non dicit ordinem ad patrem in quo est, sed ad filiationem; & ideo dicit Boetius ad aliquid omnino non prædicari. Videndus est D. Th. *in 1. dist. 8. q. 4. a. 3.* vbi explicat egregiè dictum Boetij.

Responsionem hanc sic explicatam impugnat Torres tribus argumentis non multi ponderis: quorum solutiones lege apud eundem si placet. Aduerte tamen relatiuum vt relatiuum in actu signato prædicari de suis inferioribus; alioquin quidditas generis non cōueniret formaliter speciebus.

CONTRA eandem respons. militat argumentum 7. Zum. *diff. 1.* cui optimam adhibet solutionem ex D. Th.

Eandem respons. impugnant Valsq. & Suar. *lib. Impugnatio 5. de Trin. cap. 1.* quia Boetius ibi loquitur de relationibus ad extra, quas negat prædicari de Deo: quia realiter non sunt in Deo. *Secundo*, quia hoc modo etiam negari posset relationem esse in creatura; quia secundum propriam rationem non significatur vt existens in creatura, sed vt ad aliud se habens. *Tertiò*, quia supponit D. Thom. relationes diuinas esse assistentes, quod non est verum. *Resp.* Ad primum dico Boetium ibi loqui de relationibus secundum eam rationem qua respiciunt terminum, & eo sensu dixisse relationes omnino de Deo non prædicari; & quoniam talis respectus communis est etiam relationibus ad intra; idcirco rectè S. D. ad eas etiam Boetij dictum extendit. Ad secundum respondeo relationes etiam creatas quo ad id, quod in eis est formalissimum, nec inesse nec prædicari de subiecto vt inexistentes, sed vt ad aliud relatas; & eodem modo soluitur tertium, quod est Valsq. nam relatio ratione ad inquantum ad, non est inexistens, sed assistens, vt ait S. D. *in 4. seq.*

Animaduersiones circa responsiones D. Thomæ ad secundum & tertium.

EX responsione ad secundum Cai. deducit tria: *Primum* est relatione idētitatis specificæ seu genericæ, esse relationem realem mutuum; *Secundum* est relationem fundari immediatè in substantia. *Tertium* est eam distingui realiter à fundamento, quod impugnat à Syluest. sed de hoc in sequenti art. vide Cai. Aliam responsionem asserit S. D. *in 1. sent. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 2. & de potentia q. 8. a. 1. ad 2.*

In responsione ad tertium duo sunt obseruanda: *Primum* est, causa propter quam in Deo nulla est relatio realis ad creaturas; quam latè explicat S. Th. *de potentia q. 8. a. 10.* Secundum est differentia inter creaturarum productiones & diuinarum personarum processiones: quod illæ producuntur per intellectum & voluntatem, & non per naturæ necessitatem; personæ verò diuinæ naturali necessitate procedunt in eadem natura; quæ differentia latius explicatur *infra q. 41. a. 2.* Zumellus hic disputationem instituit; num. p. 2. Zumellus ter-

terminis & filatio &c. sint relationes reales? quam
vide si placet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Virum relatio in Deo sit idem quod sua
essentia.

176. **A**D Secundum sic proceditur. Videtur, quod re-
latio in Deo non sit idem quod sua essentia. Di-
cit enim August. in 5. de Trin. * quod non omne, quod
dicitur in Deo, dicitur secundum substantiam. Dicitur
enim ad aliquid, sicut pater ad filium. Sed hoc non
secundum substantiam dicuntur. Ergo relatio non est
eiusdem essentia.

2. Præterea. August. dicit 7. de Trin. † Omnis res,
que relatiue dicitur, est etiam aliquid, exceptio rela-
tio: sicut homo dominus, & homo seruus. Si igitur
relationes aliqua sunt in Deo, oportet esse in Deo ali-
quid aliud præter relationes. Sed hoc aliud non potest
esse nisi essentia. Ergo essentia est aliud à relationi-
bus.

3. Præterea. Esse relatiui est ad aliud se habere, vt
dicitur in predicamentis. * Si igitur relatio sit ipsa
diuina essentia, sequitur, quod esse diuina essentia
sit ad aliud se habere, quod repugnat perfectioni di-
uinae esse: quod est maxime absolutum & per se sub-
sistens, vt supra ostensum est. * Non igitur relatio est
ipsa essentia diuina.

Sed contra. Omnis res, quæ non est diuina essentia,
est creatura. Sed relatio realiter competit Deo: si ergo
non est diuina essentia, erit creatura: & ita ei non e-
rit adoratio latris exhibenda, contra quod in præfatio-
ne canitur: Vt in personis proprietates, & in maiestate
adoretur aequalitas.

Respondetur. Dicendum, quod circa hoc dicitur Gil-
bertus Porretanus errasse, sed errorem suum postmo-
dum in Remensi concilio reuocasse. Dixit enim, quod
relationes in diuinis sunt assistentes, siue extrinsecus
affixæ. c.

Ad cuius euidenciam considerandum est, quod in
quolibet nomine generum accidentis, est duo considera-
re. Quorum vnum est esse, quod competit vnicuique
ipsorum secundum quod est accidentis: & hoc commu-
niter in omnibus est inesse subiecto: accidentis enim
esse est in esse. Aliud, quod potest considerari in v-
noquoque, est propria ratio vnicuiusque illorum
generum. Et in alijs quidem generibus à relatio-
ne, vt pote quantitate & qualitate, etiam propria
ratio generis accipitur secundum comparationem ad
subiectum: nam quantitas dicitur mensura substanti-
æ: qualitas vero dispositio substantiæ. Sed ratio
propria relationis non accipitur secundum compa-
rationem ad illud in quo est, sed secundum compa-
rationem ad aliquid extra. Si igitur considere-
mus (etiam in rebus creatis) relationes secundum
id, quod relationes sunt, sic inueniuntur esse as-
sistentes, non intrinsecus affixæ, quasi significan-
tes respectum quodammodo contingentem ipsam
rem relatum, prout ab ea tendit in alterum. Si
verò consideretur relatio, secundum quod est ac-
cidents, sic est inherens subiecto, & habens esse
accidentale in ipso. Sed Gilbertus Porretanus con-
siderauit relationem primo modo tantum. Quic-
quid autem in rebus creatis habet esse accidentale,
secundum quod transfertur in Deum, ha-
bet esse substantiale: nihil enim est in Deo, vt
accidents in subiecto: sed quicquid est in Deo, est
eius essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in
rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, rela-
tio realiter existens in Deo, habet esse essentia diui-
na, idem omnino ei existens. In hoc verò, quod ad

aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad
essentiam, sed magis ad suum oppositum. & Et sic ma-
nifestum est, quod relatio realiter existens in Deo,
est idem essentia secundum rem, & non differt, nisi
secundum intelligentie rationem, prout in relatione
importatur respectus ad suum oppositum, qui non im-
portatur in nomine essentie. Patet ergo, quod in Deo
non est aliud esse relationis, & esse essentie, sed vnum
& idem.

Ad Primum ergo dicendum, quod verba illa Aug.
non pertinent ad hoc, quod paternitas, vel alia rela-
tio, quæ est in Deo secundum esse suum, non sit idem
quod diuina essentia: sed quod non predicatur secun-
dum modum substantiæ, vt existens in eo, de quo dicitur:
sed vt ad alterum se habens. Et propter hoc
dicuntur duo tantum esse predicamenta in diuinis:
quia alia predicamenta important habitudinem ad
id, de quo dicuntur, tam secundum suum esse,
quàm secundum proprii generis rationem. Nihil au-
tem, quod est in Deo, potest habere habitudinem
ad id, in quo est, vel de quo dicitur, nisi habitudi-
nem identitatis propter summam Dei simplicita-
tem.

Ad Secundum dicendum, quod sicut in rebus crea-
tis, in illo quod dicitur relatiue, non solum est inue-
nire respectum ad alterum, sed etiam aliquid abso-
lutum; ita & in Deo: sed tamen aliter, & aliter:
nam id, quod inuenitur in creatura, præter id, quod
continetur sub significatione nominis relatiui, est alia
res. In Deo autem non est alia res sed vna, &
eadem: & quæ non perfecte exprimitur relationis
nomine, quasi sub significatione talis nominis
comprehensa: Dictum est enim supra, * cum q. 13. per 10.
de diuinis nominibus agebatur, quod plus conti-
neter in perfectione diuina essentie, quàm aliquo
nomine significari possit. Vnde non sequitur, quod
in Deo, præter relationem, sit aliquid aliud se-
cundum rem, sed solum considerata nominum ra-
tione.

Ad tertium dicendum, quod si in perfectione
diuina nihil plus contineretur, quàm quod signifi-
cat nomen relatiuum, sequeretur, quod esse eius,
esset imperfectum, vt pote ad aliquid aliud se habens:
sicut si non contineretur ibi plus, quàm quod nomi-
ne sapientie significatur, non esset aliquid subsistens.
Sed quia diuina essentia perfectio est maior, quàm
quod significatione alicuius nominis comprehendi pos-
sit; non sequitur, si nomen relatiuum, vel quodcum-
que aliud nomen dictum de Deo, non significat ali-
quid perfectum, quod diuina essentia habeat esse
imperfectum: quia diuina essentia comprehendit
in se omnium generum perfectionem, vt supra di-
ctum est. *

Ordo & Sensus quaestii.

PROPONITVR & examinatur in hoc articu-
lo, quaestio quid est ipsius relationis diuinae,
prout distinguitur à relationibus creatis? per-
tinet enim ad quidditatem relationis identitas
eius, vel distinctio ab essentia. In quo qua-
esito tria sunt obseruanda. Primum est, posse
nos de diuina essentia & relatione dupliciter
loqui: Vno modo secundum se: alio modo
prout à nobis concipitur. Queritur hic i-
dentitas relationis & essentie secundum se, &
non vt cadunt sub nostrum imperfectum con-
cipiendi modum; quaestio est enim de identi-
tate reali; Et quamuis ex quaestione de diui-
na simplicitate, & ex articul. 2. quaestiois quar-
ta soluta sit ex communibus hæc difficultas,
supererat tamen examen, & determinatio ex
proprijs relationis & essentie, siue respectui
& ab-

b
211.
218.

211.
218.
b d

* cum q. 13. per 10.
um. & art.
2. precipue.

q. 4. art. 2.

& absoluti: ex quibus singularem trahit diffinitivam, ut perspicue patet ex hoc articulo. *Secundo* est dictio *idem* illimitate prolata; quia primo realis inquiri designatur identitas, secundario vero formalis, ut patet etiam ex determinatione quaeriti. *Tertium* est articulum hunc esse magni momenti in doctrina Mysterij Sanctissimæ Trinitatis, atque ideo paulo fufius atque diligentius explicandum.

Forma Textus.

REFERTUR in primis error Gilberti Porretani dicentis relationes in diuinis esse affixas, siue extrinsecus affixas. *Secundo* Radix assertur erroris, & dignoscenda veritatis, ex conuenientia & differentia relationis, cum alijs octo generibus accidentis: distinguendo & explicando duo quæ in quolibet nouem generum accidentis considerantur: quorum vnum est esse, quod omnibus est commune; aliud autem propria cuiusque prædicamenti ratio, secundum quam à cæteris specialiter distinguitur relatio, ut clarè patet in textu, quem optimè format Caietanus. *Tertio* respondetur quaesito tribus conclusionibus.

PRIMA CONCL. Relatio existens in Deo est *idem* essentia secundum rem. Probatur. Quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; sed relatio habet esse in rebus creatis accidentale, & est in Deo; ergo secundum quod est in Deo, habet esse substantiale, quod est esse *idem* cum essentia secundum rem. Maior probatur. Quia in Deo nihil est ut accidens in subiecto, sed quidquid est in Deo est eius essentia. Minor quo ad priorem partem patet, ex eo, quod diximus generibus omnibus accidentis esse commune scilicet esse in subiecto; posterior vero pars probata fuit in articulo præcedente.

SECUNDA CONCL. Relatio realis existens in Deo ratione differt ab essentia. Probatur. In hoc quod relatio ad aliquid dicitur, non significatur habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum: sed nomine essentia non importatur talis respectus; ergo. Prima & secunda propositio patent ex antedicta differentia relationis ab alijs omnibus generibus.

TERTIA CONCL. siue Corollarium est. In Deo non est aliud esse relationis & esse essentia, sed vnum & *idem*. Hec sequitur ex eisdem principijs, ex quibus deducitur prima conclusio, & ex ipsa prima conclusione.

Expositio Textus.

VALQ. obij. **ASQ. 1.** latè refert sententiam Gilb. Por. & cap. 2. describit acta Concilij Remensis, & contra D. Thom. Alenf. & S. Bonau. & alios Scholasticos affirmat Gilb. nunquam in ea fuisse sententiam, ut doceret relationes esse quasi extrinsecus affixas & non inhærentes diuinæ essentia. *Sed cum ea*, quæ producit Valq. non sint prorsus integræ & indubitata fidei, sed longè minoris, quam tantorum Patrum & Doctorum auctoritas; Nam in Vaticano vbi habentur acta Concilij Rem. non leguntur ea, quæ ex quodam Ottone refert Valq. credendum est eam fuisse Gilberti sententiam, quam refert hic S. Thom.

Sed tria præterea sunt hic obseruanda. *Primum* est primam conclusionem esse fidei confessionem,

ut probant recentiores S. D. interpretes ex sacris litteris, Concilij & Patribus, & præsertim Zam. disput. prima, & Suar. vberius lib. 4. cap. 4. *Zumelini, Suarez.*

Secundum est fundamentum siue ratio tertiæ conclusionis seu corollarij, quæ ex duobus confurgit principijs. Primum est; Esse in est esse actualis existentia accidentis; quod probatur in littera; quia accidentis esse est inesse, & consequenter etiam relationis creatæ, quæ accidens quoddam est, esse in est esse existentia. Secundum est. Actualis existentia etiam relationis non est ad aliquid, sed est esse absolutum, ut affirmat S. D. in 1. p. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1. vbi sic ait: Duo igitur, quod cum dicitur, ad aliquid sunt quorum esse &c. intelligitur de esse quod est quidditas rei, quæ diffinitione significatur; quia ipsa natura relationis per quam constituitur in tali genere est ad aliud referri; & non intelligitur de esse quod est actus essentia; hoc enim esse habet relatio ex his, quæ causant ipsam in subiecto, secundum quod esse non refertur ad aliud, sed ad subiectum, sicut & quolibet accidens; & sic dico, quod non oportet esse essentia diuinæ sic ad aliud se habere; quia aliud esse, in quo paternitas & essentia vniuntur, significatur ut esse, quod est actus essentia, non autem ut esse quod significat diffinitionem rei; quia alia est ratio paternitatis, quæ ad aliud refertur; & alia ratio essentia. Hæc D. Thom. Ex quibus duobus principijs ratione & auctoritate firmatis, addito illis: quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, translatum in Deum habet esse substantiale, sequitur prædicta tertia conclusio, nimirum in Deo non esse aliud esse relationis & essentia, sed vnum & *idem*, non solum re sed etiam ratione, ut hic aduertit Caiet. indiuisibilis enim est realiter & formaliter existentia Dei, sicut essentia; quamuis ratione differat quidditas relationis & quidditas essentia, ut paucis subtiliter August. expressit dicens: *idem est quo pater est Deus & quo est: non autem eo pater quo Deus*; ac si diceret, id quo Pater Deus est scilicet esse subsistens, & quo pater existit nimirum existentia, *idem est realiter & formaliter*: non tamen sub eadem ratione formali Pater est Pater, sub qua Pater est Deus; Nam Pater est paternitate, quæ relatio est; Deus vero Deitate, quæ Dei natura est absoluta & ipsum esse subsistens.

Postremo aduerte Turrianum ad finem communem huius articuli perperam affirmasse, Caiet. 3. p. q. 3. a. 2. reuocasse sententiam de vnitæ existentia diuinæ relationis & essentia; quoniam (inquit) eo loco ait Caiet. duplicem esse existentiam in Deo: alteram essentialem & absolutam, ut existentiam Dei & diuinæ essentia; alteram personalem & relatiuam, ut existentiam relationis; quod nunquam somniauit Caiet. sed ibi duplicem affirmat in Deo subsistentiam scilicet essentialem & personalem; hanc autem scilicet personalem distinguit in tres subsistentias realiter distinctas, quæ sunt tres diuinæ personæ subsistentes. Sed accidit hic error prædicto expositori; quia non discreuit inter existentiam & subsistentiam: cum tamen latissimum sit eorum discrimen; de qua re nonnulla diximus supra quæst. 3. art. 3. in ratione ordinis, & in Controuersia vnica, & plura dicemus infra quæst. 39.

art. 4.

PRIMA

PRIMA CONTROVERSIAM.

An relatio & attributa diuina, distinguantur ab essentia, maiori distinctione quam sit distinctio rationis?

Sensus quaestio-
nis, & sen-
tentia Do-
ctorum.

Dvas sub vnius forma quaesiti comprehendimus controuersias. Prior est quam expressè praefixa sonat inscriptio: posterior verò est eidem necessario connexa; an scilicet relatio sit de conceptu & intrinseca ratione diuinæ essentiae, & contra? quas ex recentioribus multi sciungunt; nos autem satius duximus vtramque simul vnica disputatione complecti.

DVRAND. in 1. dist. 33. q. 1. & dist. 24. q. 2. & 3. dist. 1. q. 2. ad primam partem quaesiti respondet relatione, & essentiam actuali distinctione distingui: non qualis esse solet inter res omnino distinctas, sed qualis est inter rem & eius modum praecise; affirmatque distinctionem hanc ad realis distinctionis latitudinem pertinere, modalemque nuncupandam significat. Huic sententiae proxima est opinio Scoti in 1. dist. 8. q. 4. & alibi dicentis relationem, attributa & essentiam distingui formaliter ex natura rei, ante omnem intellectus operationem; quo modo etiam arbitratur distinguere inter se diuina attributa; Quam sententiam late explicat & tuetur Rada 1. p. controu. 4. ex qua deducit diuinam essentiam non esse de conceptu & ratione formali relationis diuinæ, nec relationem esse de conceptu formali essentiae; quod euidentius sequitur etiam ex opinione Durandi. Eandem sententiam quo ad relationem attribuunt recentiores Och. Marsilio & Gab. quam etiam sequitur Ferr. in 2. contra gent. cap. 9.

Torres dist. 3. tria dicit. Primum est, relationes ab essentia distingui ratione tantum habente fundamentum in re. Secundum est, diuinam essentiam intrinsece claudi in conceptu relationum. Tertium est, in conceptu essentiae non claudi relationes intrinsece. Hanc sententiam sequitur Zum. dist. 2. & 3. & infra q. 29. a. 1. & Suar. lib. 4. c. 5. & 7. Vasq. conuenit in 1. & 3. dicto, dissentit autem in 2. Negat enim conceptum essentiae includi quouis modo in conceptu relationis.

Pes. duplici utitur distinctione. Prior est, essentia diuina vel sumitur pro natura diuina quæ in suo totali conceptu dicit quatuor rationes scilicet entis improducti, substantiae, spiritus & vitae intellectualis; quomodo sumitur communiter à Patribus & Theologis. Vel sumitur pro gradu solo & praecise entis improducti, & à se existentis tanquam abstractum eius, ut sumit S. Th. q. 39. a. 2. ad 3. & alibi. Posterior eius distinctio est, essentia diuina ut abstractum entis improducti secundum rationem dictam, dicit quadruplicem gradum. Primus magis vniuersalis est, non esse ab alio tanquam à causa. Secundus, non esse ab alio, nec tanquam à causa, nec tanquam à principio productiuo. Tertius est esse ad se. Quartus omnibus dictis addit esse à se per modum fundamenti & quasi radicis omnium proprietatum & modorum. Hæc ille. His praemissis dicit quatuor. Primum. Relatio non includit rationem essentiae, prout essentia sumitur pro natura diuina quatuor illis conceptibus constituta. Probatur quia de ratione essentiae ut sic sumpta est conceptus intellectus, quem saltem relatio spirationis passiuæ non includit; alias Spiritus S. generaretur. Secundum. Ratio

A essentiae prout dicit esse à se, & non ab alio tanquam à causa, includitur in conceptu relationis tanquam quid transcendens, & commune naturæ diuinæ, cum omnibus modis & proprietatibus in illa conceptis. Tertium. Essentia diuina, prout dicit rationem non essendi ab alio tanquam à causa, nec tanquam à principio, non includitur in ratione relationis diuinæ prout talis est, sed solum in ratione alicuius relationis considerata ut talis diuina relatio est. Quartum. Essentia diuina, quatenus concipitur ut radix & fundamentum attributorum ac personalitatum, non includitur in relationibus: immò nec in attributis, quæ concipiuntur tanquam perfectiones secundæ naturæ diuinæ, & consequenter ipsam non includunt, & eodem modo se habent relationes ad diuinam essentiam.

Francis. Albertinus, cuius opus nuper ad manus meas peruenit, corollario 1. & 7. principio philosophico puncto 3. & seq. quatuor assertionibus suam sententiam explicat. Prima est. Inter relationes diuinas & essentiam non est actualis distinctio ex natura rei. Secunda: Relationes & essentia distinguuntur ratione ratiocinata. Tertia: Relationes siue collectiue siue diuise sumptæ, non sunt de essentia Dei, id est neque omnes simul neque scorsum singulae: Exempli gratia ut paternitas sit de essentia Dei, & similiter filio, & denique etiam spiratio. Quarta: Relationes distinctim sunt de essentia Dei: ita ut essentia sit vel Pater vel Filius vel Spiritus S. quatenus (inquit) de essentia diuinitatis est, ut modificata ad vnā personam, verbi gratia, ad paternitatem, excludat à se ipsa sic modificata filiationem personaliter: ut autem modificata ad Filium, excludat paternitatem.

Calet. infra q. 39. a. 1. duo dicit. Primum est, relatio seu persona non differt re, sed ratione tantum ab essentia diuina. Secundum est, in Deo est vnica ratio formalis, non purè absoluta nec purè respectiua, sed eminentissimè ac formaliter continens quicquid absolute perfectionis est, & quicquid Trinitas respectiua exigit; Et in præced. q. a. 2. ait, quod perfectio diuini esse, si secundum se diffiniretur, in se concluderet essentiam diuinam, proprietates personales, attributa & reliqua quæ sunt in Deo formaliter. Quibus addi potest tertium ex eodem expositore in articulo præcedente, ubi docet relationes diuinas complete sumptas, & relationes omnes reales ut reales sunt, ponere aliquid in re quæ refertur; quæ etiam videtur esse doctrina Capr. in 1. dist. 33. q. vnica: cuius rationem exponit & à recentiorum calumnia defendit Mol. dist. 5. quam sententiam sequitur Ban. hic quo ad duo priora dicta, & infra q. 40. a. 4. dub. 1. quo ad 3. dictum: Eandem amplectitur Mol. dist. 6. ubi tamen duo dicit, quæ nec prædictæ sententiae, nec sibi, nec eiusdem auctoris doctrinæ videntur consonantia. Primum est: Relatio praecise considerata qua relatio, ut paternitas praecise qua respectus est Patris ad Filium, proprietatesque personalis Patris, idem est re & ratione formali cum essentia diuina: & ob id non solum in sensu idètico, sed etiam in sensu formali hæc sunt veræ, relatio diuina est essentia diuina, & essentia diuina est relatio diuina. Secundum est. Sumptus essentia & relatione eodem modo, essentia non est de intrinseca ratione relationis. Quæ duo dicta examinantur inferius.

Omittimus Aureoli sententiam statuentis solū distinctione rationis ratiocinantis inter essentia & relationes, quam late confutat Capr. in al-

leg. q. & post eum recentiores *super hoc a. cuius etiam falsitas ex dicendis patebit.*

Resolutio. *Distinctione* *modorum* *diffinitionis* *realiter*, formaliter & secundum rationem late superius explicata de Deo dicta q. 3. a. 3. §. 2.

Secundo sciendum est, ea quæ in Deo sunt & de Deo dicuntur, esse in triplici differentia. Nam quædam sunt perfectiones simpliciter, vt bonitas & sapientia; quædam sunt perfectiones in tali genere siue secundum quid, vt natura hominis & leonis; quædam abstrahunt à perfectione & imperfectione, vt relationes formaliter sumptæ. Prima & vltima sunt in Deo & dicuntur de Deo formaliter & propriè: Media verò in Deo virtualiter tantum sunt, & de Deo non nisi Metaphoricè prædicantur; quid autem sit perfectio simpliciter & perfectio secundum quid, & quid sit esse in aliquo formaliter & virtualiter explicauimus *supra q. 4. a. 2. cum D. Thoma q. 13. a. 3. & Caietano de ente & essentia c. 6. q. 12.* Quæstio nobis hic est cum aduersarijs de prædicatis omnibus formaliter & propriè de Deo dictis, siue sint perfectiones simpliciter, vt attributa, siue abstrahant à perfectione & imperfectione, vt relationes, quæ sub attributi vocabulo minimè comprehenduntur. Nā cum ex creaturis Deū non alia ratione cognoscamus, quā perfectiones illas, quæ sunt in rebus ab ipso Deo creatis, seclusis imperfectionibus Deo tribuendo; sit vt ea tantum in Deo propriè dicantur attributa, quæ formaliter sumpta perfectionem significant absque vlla imperfectione; relationes autem, vt diximus, formaliter sumptæ à perfectione præcindunt & imperfectione; Quamobrem diffinire possumus attributum esse diuinam perfectionem simpliciter Deo naturalem illimitatè sumptam; Dico perfectionem, vt excludantur relationes; dico naturalem, vt excludantur creatio, conseruatio, gubernatio, prædestinatio, vocatio, reprobatio & alia similia, quæ non necessariò, sed liberè Deo conueniunt: denique dixi illimitatè sumptam, vt excludam peculiare modos vnius attributi, quales sunt distinctæ rationes ideales, quæ plura attributa nequaquam dicenda sunt, vt diximus *supra q. 12. a. 7. in 1. Contr.* Vbi aduerte ideam dupliciter sumi. Vno modo, vt ratio est & sic pertinet etiam ad speculatiuam cognitionem, quæ Deo est naturalis; alio modo, vt exemplar: & sic pertinet ad practicam cognitionem eorum, quæ fiunt in tempore, vt ait S. Thom. *supra q. 15. a. 3.* & primo modo tantum est attributum, non autem secundo, vt significat S. Thom. *de veritate q. 3. a. 2. ad 2.* Et ex his apparet defectus Turr. *super hoc a. disp. 1. p. 2.* in attributi diffinitione, quem sequitur Zum. *disp. 7.*

Turr. & Zum. defectus.

Duplex modus essendi rationis formalis.

Tertio considerandum est rationes rerum formales duplicem habere modum essendi. Vnum in proprijs naturis, vt ratio virtutis calefactiue, & ratio virtutis dissecatiue in sublaribus, & ratio intellectus ac ratio volutatis in nobis. Aliū aut in re superioris ordinis cui formaliter insunt, vt prædictæ duarum virtutum rationes in Sole, & rationes intellectus & voluntatis in Deo; Differunt autem maximè rationes formales sub vno, aut sub altero essendi modo consideratæ; Nam prout existunt in proprijs rerum naturis, sunt à parte rei, siue secundum se formaliter distinctæ seclusa quavis intellectus operatione: ob eam causam, quia qualibet earum ita se ipsa formaliter est circumscripta, ac proprii ordinis limitatione definita, vt eadem cum altera mi-

nimè sit aut esse possit, nec vnā alteram intrinsecè claudat: Virtus enim elementaris calefactiua est calefaciendi principium, sed non desiccandi, & è contra; & vis in nobis intellectiua est intelligendi principium, sed non volendi, & è contrario: At secundum illum essendi modum, quem habent rationes rerum formales in re altioris ordinis, proprijs omninò carent limitationibus ac distinctiuis; ac proinde vnā eadem est realiter & formaliter cum alia. Nam quemadmodum res quæ in inferiori ordine sunt distinctæ, in vnā rem superioris ordinis translata ex illius simplicitate & eminentia realem acquirunt vnitatem: ita rationes earum formales vnā vnā superioris ordinis formalem rationem induunt, abiecta quam in proprijs naturis habebant limitatione, adeo vt vnā sit non solum ipsa, sed altera formaliter: sicut calefactiua & desiccatiua vis in sole, hoc ipso quod ad vnā simplicem lucis naturam eleuatur, realem habent vnitatem; Et quoniam lucis solaris ratio vnā est, necesse est etiam vtriusque virtutis rationem formalem vnā esse; siquidem vnius rei vnā est tantum ratio formalis, quam explicat vnica diffinitio: Quo fit vt assignata lucis solaris diffinitione non esset opus peculiare dictarum virtutum diffinitiones inuestigare, vt scitè notat Caietanus in *alleg. 6. c.* Constat autem ex supradictis q. 4. a. 2. Deum ex hoc, quod est ipsum esse subsistens, totam in se continere perfectionem essendi, & consequenter rerum omnium perfectiones; nam omnes ad perfectionem essendi pertinent; & eadem ratione quidquid necessariò inest ijs, quæ dicunt perfectionem, qualis est incommunicabilitas, & relatio formaliter sumpta, quæ ad perfectionem pertinent diuinæ personæ, & ipsius esse per essentiam, qui Deus est, vt notat Caietanus *infra q. 29. a. 3.* Et quoniam ipsum esse subsistens quod Deus est maximè vnū est, non rei tantum, sed etiam rationis formalis vnitatem (siquidem vnius rei simplicissimæ non nisi vnā potest esse ratio formalis) consequens est, vt rerum omnium perfectiones simpliciter, & alia formaliter de Deo dicta, ita in vnā rem simplicissimam, quæ Dei natura est eleuentur, vt illius non realem solum, verum etiam formalem induant vnitatem: adeo vt non tantum sint vnæ res in Deo bonitas, veritas, sapientia, relatio & esse: sed sit etiam horum omnium vnā simplicissima ratio formalis: Nec sit alia ratio formalis Deitatis à ratione formali bonitatis, veritatis &c. sed vnā prorsus & eadem; quæ vnā diffinitione deitatis explicaretur, si posset afferri; Sicut etiam Deus seipsum, prout in se est cognoscens, vnicum format verbum totius Deitatis adæquatè representatiuum; & hoc est, quod ait Caietanus *infra q. 39. a. 1.* mirum in Deo vnā esse rem, siue potius Deum vnā esse rem, non purè absolutam, nec purè respectiuam, neque mixtam aut compositam, aut resultantem ex re absoluta & respectiua: sed eminentissimè ac formaliter præhabentem realitatem omnem absolutam & respectiuam, possibilem Deo formaliter conuenire; & consequenter etiam vnā Dei rationem formalem, nempe Deitatem, non esse purè absolutam nec purè respectiuam &c. sed eminentissimè ac formaliter continentem rationem omnem formalem omnis absolutæ perfectionis, ac rei relatiuæ, quæ de Deo formaliter dici possit, ob supradictam causam; quia scilicet oportet cuilibet rei simplicissimæ ac maximè vni correspondere vnā ad-

Perfectionis vnitatis formalis in Deo

adequatam rationem formalem; alioquin res illa A non esset per se primò vnum intelligibile à quo-uis intellectu. Non enim existimandum est rem illam infinitam, quæ Deus est, partem esse sub-iectuam entis, prout diuiditur in absolutum & respectuum, & sub horum altero collocari; ita vt Deus ad solum entis respectui modum, aut absoluti tantum pertineat, sitque Deus nostro modo intelligendi posterior diuisione entis in absolutum & respectuum; Nam vt ibidem subti-liter aduertit Caiet. res illa diuina quæ Deus est, prior est ente & omnibus modis ac differentiis eius, ipsumque cum omnibus modis, ac differentiis continet supereminenter; ac propterea dicitur su-per ens, super bonum, & super vnum &c. vt sæpè reperit D. Dionys. *de diuinis nomin.* Ita verò con-tinet hæc vna simplicissima, & infinita res, quæ Deus est, quidquid est absoluti & quidquid est respectui, vt omni intellectus operatione præci-fa exerceat, quidquid ratio postulat relatiui, ac si relatiua res tantum esset; & exequatur id omne quod rationi congruit absoluti, ac si res abso-luta tantum esset. Quemadmodum vnica & sim-plex anima rationalis, in qua multarum forma-rum perfectiones continentur, sicut inferiores numeri continentur in maiori, ea omnia excel-lentius composito scilicet homini confert, quæ singula inferioris ordinis composita à singulis il-lis formis accipiunt; dat enim homini esse corpo-reum, quod etiam lapidi confert eius forma; dat esse viuens, quod etiam tribuit forma plantæ; de-nique; constituit hominem in esse sensitui, quod etiam confert anima boui: super hæc tandem constituit hominem rationalem, quo gradu su-pra ceteras rerum corporearum formas eleua-tur; Quamuis exemplum hoc, sicut & quoduis aliud ex rebus creatis assumptum ad tantæ rei cellitudinem, cuiuslibet creatæ aut creabili menti incomprehensibilem explicandam sit ineptum, longèque dissimile. Vnde etiam S. Th. *in præc. q. a. 2. ad 3.* dixit in ipsa perfectione diuini esse cōtine-ri, & verbum intelligibiliter procedēs, & princi-pium verbi, sicut & quæcūque ad eius perfectio-nē pertinent; Ex quibus verbis *ibid.* Cai. deduce-bat nullam esse distinctionem formalem actu in-ter essentiam diuinam, & proprietates persona-les, & reliqua quæ Deo formaliter insunt, i-plamque diuini esse perfectionem in sui diffi-nitione (si diffiniri posset) hæc omnia claudere; atque ideo distinctionem omnem absoluti à relatiuo in Deo non nisi virtualiter, in intel-lectu verò secundum rationem esse ponen-dam.

Distingui-tur & expli-catur multi-plex accep-tio diuinae essentiae & relationis, & probatur tam vtrin-sèque vnica formalis in-clusio, quam rationis di-stinctio.

Quarò aduertendum est dupliciter nos loqui posse de diuina essentia & eius perfectionibus & relationibus, siue de ente increato & de ipso esse per essentiam quod Deus est. Vno modo secun-dum se prout est à parte rei, quomodo videtur E à seipso & à beatis. Alio modo prout à nobis diuer-sis conceptionibus apprehenditur & distinctis nostris conceptibus correspondet, & varias quas de eo formamus propositiones verificat. Cū ita-que dicimus diuinam essentiam, perfectiones & relationes essentiae comparatas vnum esse reali-ter ac formaliter, de prædictis loquimur secun-dum se consideratis; sic enim sunt vna res simpli-cissima, cuius est vna ratio formalis & vna quid-ditas; ex quo fit vt vnū sit de intrinseca ratione al-terius: nihil enim est magis intrinsecū rei, quàm ratio illius formalis; per eam enim quælibet res in esse proprio constituitur, & vnitatem habet, & à ceteris differt. Si itaque prædictorum om-nium in Deo vna est ratio formalis, consequens

est, vt quæ vnus est ratio, sit etiam alterius, & consequenter vnum intrinsecè & formaliter claudatur in alio. Sed quòd multos fallit est, quòd existimantes se loqui de diuina essentia prout in se est, de ea disserunt, vt cadit sub di-uerfis conceptionibus nostris: nam contemplan-tur illam, vt præintelligitur relationibus, & com-parant eam relationibus tanquam modis qui-busdam intrinsecis, & in ea considerant seorsum esse comunicabile, & esse incommunicabile, & esse tali, vel tali persona incommunicabili; quæ om-nia & alia similia pertinent ad considerationem diuinæ essentiae, prout à nobis cognoscitur, & di-uerfis nostris conceptionibus correspondet; B quòd Mol. præsertim accidit, vt ostendimus in-ferius; & ideo vana est responsio, quam huic ad-hibet probationi *disp. 6. ad primum suum argumen-tum.*

Mol. *resp.*

Quintò notandum est diuinam essentiam dupli-citer sumi posse. Vno modo prout idem est quòd substantia latè sumpta, quæ est ens per se, siue om-ne id quod non existit in alio tanquam in sub-iecto sed habet esse per se; & sic accepta substan-tia ac proinde etiam essentia distinguitur con-tra accidens; Et quoniam inter substantiam si-ue essentiam hoc modo sumptam & accidens nullum est medium, & diuinæ relationes acci-dentia non sunt sed per se subsistunt: idcirco di-uina substantia & essentia prædicto modo sum-pta relationes etiam comprehendit, vt ante dixi-mus de diuina re, quæ Deus est cum D. Thom. & Cai. Alio modo potest sumi essentia diuina pro re tantum absoluta, quo modo etiam nomen diuinæ substantiae sæpè sumitur; & hoc modo distingui-tur non tantum contra accidentia, sed etiam con-tra relationes ipsas subsistentes siue subsistentias relatiuas, à quibus ratione distinguitur habente fundamentum in re: cū sit vna tantum in di-uinis essentia vniuersa continens attributa; qua-tuor autem sint relationes & tres subsistentiæ personales.

Essentia pro substantia latè sumpta.

Essentia pro re tantum absoluta.

Similiter etiam diuina relatio puta paternitas D potest dupliciter considerari. Vno modo præci-sè quatenus scilicet paternitas est, & vt præcisè dicit respectum Patris ad Filium: & hoc modo solum exprimit relationem non autem essen-tiam. Alio modo sumi potest relatio non præcisè, sed secundum totam suam integram rationem formalem, quæ conuenit illi non tantum à parte rei, sed etiam prout à nobis concipitur; & hoc modo claudit in se rationem formalem essentiae diuinæ. Nam etiam hoc nomen Pater dupliciter sumi potest in diuinis. Vno modo prout signi-ficat personam patris constitutam modo no- stro intelligendi ex essentia & relatione, in quo sensu communiter solet à Theologis vsurpari; & hoc modo claudit intrinsecè relationem & ef-fentiam. Si itaque paternitas sumatur vt abstra-ctum huius cōcreti quod est Pater, secundum iam dictam significationē accepti, totum illud signi-ficat licet abstractè, quod nomine Patris signifi-catur concretè, nimirum essentiam & relationem; sicut hoc nomen humanitas illud totum signifi-cat, quod formaliter importat hoc nomē homo. Alio modo sumi potest hoc nomen Pater, prout cōcretum est à sola relatione paternitatis præci-sè sumpta, vt ab essentia distinguitur; & hoc mo-do sumitur pater formaliter vt pater est, videli-cet secundum eam tantum rationem qua relatiuè opponitur filio, secundum quam oppositionem ab essentia ratione distinguitur; & sic solam signi-ficat relationem, nec essentiam includit in suo cōceptu, vt aperte docet D. Th. *in 1. q. 40. a. 4. ad 1.*

Relatio diuina dupliciter.

Patris nomē dupliciter.

vbi

Zum. impo-
nitur rei
vbi.

vbi vtramque ponit significationem. Ex dictis ap-
paret Zum. disp. 3. male imposuisse Cai. quod fue-
rit varius affirmando esse de essentia diuinitatis, &
postea negando in qu. 39. art. 6. vbi ait propositio-
nem hanc *essentia est paternitas*, vel *Deus est Pater*
non esse prædicationem per se simpliciter loquē-
do; quia nō est formalis; quod etiam docet S. Th.
de potent. q. 8. a. 2. ad 6. Nam hic & in a. 1. q. 39. loquitur
Cai. de essentia priori modo sumpta: in 4. ve-
rō 6. q. 39. loquitur de eadem cum D. Tho. in po-
steriori sensu accepta.

Ex quo etiam patet vanum esse eiusdem ex-
positoris laborem in tota fere illa 3. disput. quia
prædictam essentia distinctionem considerare
neglexit. Posset & fortè melius dici Cai. hic, & in
d. 4. loqui de essentia diuina secundum se, in illo
verō 6. a. de diuina essentia prout præcisè concipi-
tur.

Essentia di-
uina dupli-
citer aliqui
conueniunt
quidditati-
ne.

Sexto Observandum est, quod iuxta modum no-
strum intelligendi in re fundamentum habente
de diuinis loquendo, dupliciter aliquid quiddi-
tatiue cōuenit essentia diuinæ priori modo sum-
pta vel etiam secundum se: Vno modo sub ea ra-
tione qua communicabilis est tribus personis: &
sic ad eius quidditatem pertinent vniuersa attri-
buta, siue sint omnino absoluta siue respectiua ad
creaturas, vt bonitas, veritas, æternitas, sapientia,
potentia, prouidentia, &c. Alio modo conuenit ali-
quid essentia diuinæ quidditatiue, sub ea ratio-
ne qua constitutibilis est in esse personali incommu-
nicabili: & ita conueniunt illi relationes ad
intra, proprietates personales, actus notionales,
Trinitas personarum & alia quæcumque ad hoc
mysterium pertinentia; neutra tamen harum
considerationum est integra & totalis acceptio
essentia diuinæ prædicto modo sumpta: Nam
vt ante diximus, res illa diuina quæ Deus & eius
essentia est, in vna simplicissima sui ratione for-
mali omnia claudit intimè, tam absoluta quam
relatiua, & vtrorumque munus exercet. Quapro-
pter falsa est illa consequentia: Paternitas inclu-
ditur in essentia secundum se quidditatiue; ergo
pater communicans filio totam essentiam, com-
municat etiam illi paternitatem; quoniam pa-
ternitas non includitur in diuina essentia secun-
dum rationem communicabilis, & consequenter
non includitur communicabiliter. Fundamen-
tum habet hæc doctrina in infinitate ac simplici-
tate diuinæ rei, cui naturaliter & necessariò con-
uenit vtraque ratio, scilicet communicabilis &
incommunicabilis, absoluti & relatiui, adeò vt
absolutum exequatur ea, quæ sunt absoluti, ac si
res absoluta tantum esset; & relatiuum ea quæ
sunt relatiui ac si relatiuum tantum esset; sufficit
enim distinctio inter vtrumque virtualis, in
summa rei infinitate fundata; ex qua provenit, vt
paternitas, ex oppositione relatiua, quam exer-
cet in ordine ad filiationem, realiter ab ea distin-
guatur, non autem ab essentia cui non opponi-
tur, sicut etiam vt dicatur Deus intellectu cog-
noscere aut generare & non voluntate, satis est
eadem distinctione intellectum à voluntate dis-
tingui.

Radix di-
stinctionis
virtualis
& formalis
in Deo.

Postremo sciendum ex vna & eadem radice, ni-
mirum ex summa simplicitate & infinitate diui-
næ rei provenire distinctionem omnem rationis
virtualem & actualem, tam inter absoluta & re-
latiua, quam inter absoluta ad inuicem compara-
ta. Nam ex hoc quod Deus vna res est simplicis-
sima & infinita præhabens in se rerum omnium
perfectiones & entitates, habet vt ei assimilen-
tur non tantum perfectiones simpliciter in pro-

prijs naturis existentes, & quædam entitates re-
latiue, quales sunt paternitas & filiatione creata, sed
etiam vt eidem assimilentur conceptus omnes
formales, quibus prædicta repræsentantur; At ex
hoc quod Deus actu terminat vt obiectum di-
uersas conceptiones, plures etiam in Deo rela-
tiones rationis intelligimus, quibus Deus corre-
latiue respicit singulas illas conceptiones vt ob-
iectum; quod est, habere in se distinctionem ra-
tionis formalem actualiter. Et quoniam Deus
secluso omni opere intellectus habet ex eadem
simplicitate & infinitate, vt plures de eo forma-
tos conceptus valeat terminare; ideo distinctio-
nem rationis dicitur habere virtualem seu
fundamentalem, ita vt sit actu Deus ab æterno di-
stinctus virtualiter. Videndus est Cap. in 1. dist. 8.
q. 4. Cai. in d. q. 12. Torres disp. 1. Zum. disp. 7. & 8. &
alij recentiores.

QVAERUNT hic expositores, an distinctio ra-
tionis fiat per solum intellectum humanum, an etiam
per intellectum diuinum? sed hanc difficultatem ali-
bi definiuimus. Videndus est Zum. disp. 2. §. solent
dubitari &c.

PRIMA CONCL. Essentia diuina & attributa, nullam habent inter se distinctionem actualem ex natura rei. Probatur ex Cai. in d. c. 6. Quia diuina essentia & attributa abstracta abstractione præcisi-
sima, sunt formaliter & simpliciter infinita. Ergo sunt idem formaliter ex natura rei. Antecedens patet ex dictis, & est Scoti in 1. dist. 8. q. 3. in resp. ad argumentum principale. Consequenter probatur ex duplici differentia inter infinitum secundum propriam rationem; & infinitum secundum quod ens simpliciter. Prima est, quod infinitum secundum propriam rationem nullis clauditur terminis suæ propriæ latitudinis, quamuis ita sit ad talem entis gradum definitum, vt nō omnem habeat perfectionem essendi; infinitum autem secundum quod ens seu simpliciter, nullos infra totius entis latitudinem patitur limites, sed perfectionem omnem includit essendi. Ex hac differentia sequitur alia, nimirum, vt prior infinitas addita ratione formali limitationem eius non tollat, vt patet in quantitate infinita quæ semper est ad genus quantitatis determinata: & similiter albedo intrinsecè infinita esset ad speciem albedinis limitata. Posterior autem infinitas rei cuiuspiam addita omnes abigit limites, quibus potest aliqua res, siue perfectio cum sua ratione formali determinari, & à qualibet alia perfectione distingui, & consequenter nullam distinctionem formalem admittit ex natura rei: cuius ratio est: quoniam hæc posterior infinitas attenditur penes ea, ad quæ totius entis latitudo se extendit: prior autem penes ea, quæ infra rei illius, cuius est infinitas, latitudinem sunt considerantur.

Huic argumento respondet Rada & negat consequentiam; quoniam (inquit) de ratione infiniti formaliter extra genus non est, quod includat in sui ratione formali omnem perfectionem simpliciter, sed quod illam includat per identitatem realem perfectissimam. Sed huius responsionis confutatio patet ex supra dictis. Nam vnus rei infinite simplicissimæ vna debet esse ratio formalis simplicissima; alioquin res illa non esset per se primo vnum intelligibile &c.

Qui plures huius conclusionis probationes videre desiderat, legat Turrian. disp. 1. Bann. dub. 3. Zum. disp. 7. Molin. disp. 2. Suar. libr. 1. de essentia Dei cap. 10. & 11. & disp. 30. Meth. sect. 5. & 6.

SECVN-

SECUNDA CONCL. *Essentia & diuina attributa, praecisa omni operatione intellectus distinctionem habet inter se rationis virtualem, per actionem autem intellectus formalem.* Hæc conclusio patet ex dictis: cuius ampliores probationes lege apud Cap. in dicta dist. & Caiet. in allegato cap. 6. Turrianum disp. 2. Molin. disp. 3. & alios locis paulo ante notatis.

TERTIA CONCL. *Inter essentiam diuinam & relationes nulla est actualis distinctio ex natura rei.* Hanc conclusionem probant ea omnia argumenta, quibus probari solet prima conclusio. Eandem late probant recentiores super hoc a. Torres disp. 3. p. 2. Zum. disp. 2. & 3. Val. inf. q. 39. a. 1. probat eam optimis argumentis, & post eum Valq. disp. 120. c. 4. & Suar. lib. 4. de Trinit. cap. 4. & 5. Denique sequitur euidenter hæc conclusio ex antecedentis.

QUARTA CONCL. *Inter essentiam & relationes diuinas secundum se est distinctio rationis virtualiter seu fundamentaliter.* Hæc conclusio probari potest eisdem argumentis, quibus probatur secunda. Optima tamen probatio sic potest ex dictis formari. Vbi est vna res simplicissima quæ sit formaliter absoluta & formaliter relatiua, ibi est virtualis seu fundamentalis distinctio essentia & relationis: At in Deo est vna res simplicissima quæ est formaliter absoluta, & formaliter relatiua, ergo. Minor patet ex dictis. Maior probatur. In omni habente in se vnde causare, terminare & verificare possit tanquam obiectum distinctas rationes seu conceptiones formales essentia & relationis, est distinctio rationis virtualis, seu fundamentalis: sed res vna simplicissima, quæ sit formaliter absoluta & formaliter relatiua, est habens in se vnde causare, terminare, & verificare possit &c. Ergo. Alias probationes lege si placet apud Cai. infra q. 39. a. 1. Ban. hic dub. 3. Zum. disp. 10. Mol. disp. 5. & Suar. de Trinit. lib. 4. c. 4.

QUINTA CONCL. *Essentia & relatio vt terminant actus nostri intellectus distinguuntur actualiter ratione rationata.* Probatur hæc conclusio eodem medio quo præcedens, addendo tantum hoc quod est actu terminare diuersas conceptiones, sic. Vbi est vna res simplicissima, quæ sit formaliter absoluta & formaliter relatiua, terminans actu distinctas conceptiones relatiui & absoluti, ibi est distinctio rationis actualis, &c.

SEXTA CONCL. *Inter essentiam & relationes maior est distinctio virtualis, quam inter essentiam & attributa.* Probatur. Vbi est maius fundamentum distinctionis rationis actualis, ibi est maior distinctio virtualis; at inter essentiam & relationes est maius fundamentum distinctionis rationis actualis, quam inter essentiam & attributa; ergo. Maior patet. Minor probatur primo; quia fundamentum distinctionis relationum ab essentia est realis oppositio & distinctio relationum inter se, quæ non conuenit essentia; quæ relationum distinctio & oppositio est in ipso Deo, sicut & ipsæ relationes in Deo sunt: At distinctio attributorum inter se & ab essentia, vel non habet fundamentum alicuius distinctionis realis in ipso Deo, vt bonitas, potestas, actio, immutabilitas, eternitas & immensitas, sed in creatura tantum, cuius omnes perfectiones in Deo continentur eminenter: vel si habent fundamentum alicuius realis distinctionis in Deo, non habent illud in seipsis, sicut habent relationes quæ realiter inter se distinguuntur, sed in terminis, vt intellectus & voluntas, quæ ratione inter se distinguuntur: quæ rationis distinctio, fundamentum ali-

A quod habet in terminis vtriusque potentia, qui sunt verbum & Spiritus S. inter quos est realis relatiua distinctio. Secundo quia essentia secundum rem est communicabilis; relatio verò personalis est incommunicabilis; relatio concretè sumpta, puta filius producit, non autem essentia. Nihil autem est quod vni attributo conueniat secundum rem, quod alteri etiam & essentia realiter non conueniat, etsi de ea formaliter non dicatur; & in hoc sensu videtur loquutus fuisse Ferr. nec approbasse Scoticam illam distinctionem actualem ex natura rei, contra communem omnium Thomistarum sententiam: Et quamuis maior sit distinctio virtualis relationum ab essentia, quam attributorum inter se, & ab essentia: in nullo tamen minuitur perfecta & vt a iunt omnimoda identitas relationum cum essentia; consistit enim identitatis perfectio in negatione omnis actualis distinctionis à parte rei, nec postulat negationem omnis distinctionis rationis actualis, aut virtualis, simpliciter aut secundum aliquem gradum; nulla siquidem virtualis distinctio repugnat summæ simplicitati & vnitati reali & formali secundum se relationum diuinarum cum essentia.

SEPTIMA CONCL. *Si loquamur de essentia diuina, & relationibus secundum se, essentia est de intrinseca ratione relationum, & e contra.* Probatur ex dictis. Vna est ratio formalis essentia & relationis; Ergo vna est de ratione alterius intrinseca. Probatur sequela; quia non est intelligibile, duo aliqua vnus esse rationis formalis simplicissima, & vnum non claudi intrinsece in ratione alterius; nam vnum in ratione alterius clauditur intrinsece per propriam rationem formalem; sicut animal in ratione hominis; igitur vbi est summa rationis formalis aliquorum vnitatis ibi est inclusio summa & maximè intrinseca vnus in altero.

Resp. Mol. nullam esse consequ. quoniam essentia & relatio, virtute continet distinctionem formalem. Vnde ad probationem negat antecedens, quando illa duo virtute continent distinctionem formalem. Sed hæc responsio diuertit à ratione formali secundum se, ad eandem vt à nobis concipitur duplici conceptu habente fundamentum in re: conclusio verò & eius probatio loquitur de ratione formali & intrinseca ratione relationis & essentia secundum se; & eodem defectu laborant reliquæ responsiones, & totus discursus eiusdem expositoris in supradicta disput. 6. Eandem probat Bannes dubio 3. in resp. ad 6. argum.

OCTAUA CONCLVS. *Relationes, tam diuinae, quam collectivè sumptæ, includuntur intrinsece in ratione formali Dei & diuinae essentia secundum se.* Probatur primo; quia vna est ratio formalis Deitatis simplicissima, continens rationem omnem formalem absoluti & relatiui Deo conuenientis, ergo. Secundo: Deitati secundum se naturaliter & necessario, ac per se in primo modo conuenit subsistere in singulis, & omnibus tribus suppositis relatiuis relatiuè distinctis; ergo de ratione formali & quidditate Deitatis est subsistere in omnibus, & singulis tribus illis suppositis; ergo relationes tam collectivè quàm diuinae clauduntur intrinsece in ratione formali deitatis siue diuinæ essentia secundum se. Antecedens quoad priores duas particulas ab omnibus est confessum; nec potest salua fide negari; Quo ad vltimam verò, nimirum per se in primo modo probatur; Quia personæ diuinæ omnes & singula, quæ sunt relationes subsistentes, sunt id quod

Mol. resp.

Confutatio.

quod est perfectissimum in natura diuina, vt ait S. Thomas q. seq. ar. 3. quod verò perfectissimum est, ad rationem formalem Deitatis & eius quidditatem secundum se maximè pertinet, & consequenter in primo modo; alioquin Deitas non esset intrinsicè & essentialiter ac formaliter seipsa perfectissima, sed indigeret aliquo extra eius quidditatem existente ad supremum sui complementum & vltimam sui perfectionem: sicut natura creata puta humanitas, eget personalitate realiter ab ea distincta, vt sit actu subsistens, & absolute perfecta. Et ex his patet etiam tam prima, quam secunda consequentia.

» **NONA CONCLVS.** *Relationes disunctim sumptæ vt sic, non sunt de essentia Deitatis.* Hæc conclusio necessario sequitur ex præcedente & eius probationibus; Nam si omnes collectivè sunt de essentia Deitatis; ergo non disunctim; quia scilicet vna excludat aliam, vel essentia modificata per vnam excludat aliam: nam essentia non potest esse perfecta, nisi sit tribus relationibus modificata. Secundo probatur; quia æquè necessariò per se & formaliter Deitas secundum se est paternitas, sicut filiatio & spiratio, & contra; quamvis ex his relationibus remota destruitur integra ratio formalis Deitatis, de cuius ratione est Trinitas personarum. Denique magis patebit veritas tam huius, quam præcedentis conclusionis ex solutione argumentorum, quibus prædictus auctor tamquam demonstrationibus innititur in statuendis prædictis duabus assertionibus.

» **DECIMA CONCL.** *Sumendo essentiam iuxta priorem sensum superius explicatum in quinto notabili, & relationem secundum suam integram & completam rationem, mutuo sese formaliter includunt.* Hæc patet ex dictis; sicut enim relatio creata in integra sui ratione includit ad & in, vt suo loco probabitur; ita relatio diuina in sui completa ratione claudit ad & essentiam siue substantiam diuinam, quæ ibi est loco in, vt ante diximus.

» **VNDECIMA CONCLVS.** *Sumendo essentiam præcisè, & relationem præcisè prout dicit ad, etiam reale, essentia non est de intrinseca ratione relationis, puta paternitatis.* Hæc conclusio est secundum mentem Cai. in hoc a. ad 3. vbi ait relationem formaliter consideratam, secundum propriam rationem nõ dicere perfectionem nec imperfectionem: Constat autem essentiam secundum propriam rationem formalem dicere perfectionem. Et infra q. 40. a. 4. docet relationem habere ab essentia radicaliter vt sit res realis, sed tamen per seipsam formaliter esse rem realem: quod non esset verum, si relatio formaliter & præcisè sumpta includeret intrinsicè rationem formalem essentiae; nam per eam realis esset formaliter. Et ibidem addit conuenire relationi esse constitutum hypostasis, non ratione alicuius absoluti formaliter, sed ratione sui, quatenus scilicet ab absoluto distinguitur; igitur vt sic non includit absolutum intrinsicè. Hanc conclusionem probat Molina pluribus argumentis disput. 6. conclus. 4. contra Turrianum.

» **VLTIMA CONCLVS.** *Relationes diuinae præcisè sumptæ non sunt de intrinseca ratione essentiae præcisè sumptæ.* Probatur ex D. Thom. de potentia Dei, q. 8. a. 2. ad 6. dicente non esse prædicationem per se cum relatio prædicatur de essentia: quod dictum explicans Caietanus infra quest. 39. art. 6. ait intelligendum esse de prædicatione formali, non de identica. Ergo essentia vt sic, non includit relationem vt sic. Idem

affirmat S. D. infra quest. 33. a. 13. ad 1. vbi sic loquitur: *Communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria; quia includuntur in intellectu propriorum, sed non e converso: in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur; vbi aduertit ibidem sumi propria non præcisè, sed secundum suas rationes completas, vt patet in exemplo de persona Patris.* Eandem conclusionem probat Zumellus disp. 3. concl. 4. Molina disput. 6. conclus. 3. & Suarez in dicto lib. 4. c. 5.

CONTRA primam concl. sunt 16. argum. Sco-
ristarum, quæ refert & soluit Capreolus in primo
dist. 8. q. 4. quorum vim exprimit Cai. octo argu-
mentis ab eo solutis in d. 6. cap. ex quibus quatuor
refert Rada & eorum responsiones impugnati.
Primum argum. est. Sapientia & bonitas, absolute
distinguntur formaliter ex natura rei, ergo sapientia
indefinita, & bonitas indefinita, distinguntur
formaliter ex natura rei. Antecedens patet.
Consequentia probatur; quia infinitas non variat
rationem formalem eius, cui additur, vt patet
inductiuè. Respondet Cai. duplicem esse rei alicuius
indefinitatem: vnam secundum propriam rationem,
quæ est infinitas in tali genere & secundum quid:
aliam secundum quod ens siue simpliciter. Prior
indefinitas non variat rationem formalem: posterior
autem variat cum eam illimitet & eleuet, vt sit
omnis perfectio: porro diuinae perfectiones singulae
indefinitae sunt simpliciter. Itaque si antecedens loquitur
de indefinitate priori, verum est, sed falsa est consequentia;
quia bonitas & sapientia Dei sunt indefinitae simpliciter;
quod si in antecedente posterior significetur
indefinitas, falsum est ob iam dictam causam.

Sed responsionem hanc sic arguit Rada. Primò; quia
Caiet. non probat indefinitatem secundo modo dictam
esse rationem identificandi rem cuius est, omni perfectioni
sibi composibili, non solum realiter, sed etiam formaliter,
in quo consistit tota huius questionis difficultas. Secundo: Si
sapientia indefinita esset formaliter bonitas indefinita
ex natura rei, sequeretur quod sicut Deus est formaliter
sapiens ex natura rei sapientia, similiter esset formaliter
sapiens bonitate & misericordia, quod rationi contrariari videtur.
Et confirmatur argumentum; quia ita manent in Deo
proprie rationes formales sapientiae & bonitatis ac si finitæ
essent. Ergo ita benè distinguuntur formaliter bonitas
indefinita, sicut bonitas absolute, & sapientia absolute.
Antecedens probatur; quia ratio formalis alicuius perfectionis
manet semper in quocunque gradu perfectionis intelligatur;
sapientia enim indefinita ita retinet rationem sapientiae,
sicut sapientia finita. Resp. Cai. Sol. optimè probasse
quod negat Rada, ex hoc quod vni rei indefinitæ ac
simplicissimæ debetur vna ratio formalis simplicissima;
alioquin non esset per se primò vnum intelligibile
vniuo verbo expressū. Ad secundū dico, quod à parte rei loquendo,
secluso modo nostro intelligendi, Deus vna ratione
formali est bonus, intelligens, sapiens, volens, iustus &c.
& consequenter ratione formali bonitatis, voluntatis &
iustitiæ & misericordiæ, quæ vna est & indefinita simpliciter;
Deus est formaliter sapiens; sed deceptio contingit, quia cum
dico, Deus est sapiens bonitate, communiter intelligitur
nomen sapientis & bonitatis, prout à nobis concipiuntur
vt rationes distinctæ ob limitationem & modum imperfectum
intelligendi nostri intellectus. Ad confirmationem negatur
antecedens. Ad probationem negatur antecede-

Argum. ex
solu-
tiones
Obi. 1. cont.
concl.

Sol.

Rada repli-
ca.

Confirm.

Sol.

Ad confirm.

tece-

tecedens de ratione formali vniocè su npta; Nam perfectio, puta sapientia infinita simpliciter non est eadem vniocè, sed analogicè tantum cum sapientia finita, & ab ea differt per dictam illimitationem & identitatem formalem, cum omni alia perfectione simpliciter eiusdem rei.

Obi. 2. Secundum in ordine apud Radam est: Bonum & verum in Deo non distinguuntur ex natura rei, ergo sunt formaliter synonyma. Consequens est contra te: Conseq. autem probatur; quia bonitas & veritas non significant nisi ipsas perfectiones in re nullo modo distinctas in ea. **Respon. Cai.** nullam esse conseq. quia synonymeitas, cum sit passio nominum, non attenditur penes identitatem rationis formalis rei secundum se, sed penes identitatem conceptus formalis seu mentalis; nã voces sunt existentium in anima passionum notæ; sunt autem bonitatis & veritatis diuersæ conceptiones in nobis, & ideo non sunt synonyma: quamuis sit eadem res & ratio formalis à parte rei significata.

Replica R. d. e. Sed contra resp. hanc argumen. Rada. Primò: quia nomina principaliter significant res iuxta Aristotelem in 1. Elenchorum dicentem nos pro rebus vti nominibus; quia res ad disputandum ferre non possumus. Secundò: Ratio quam significat nomen est diffinitio, ut dicitur 4. Meth. Sed diffinitio indicat veram essentiam rei; ergo illa per nomen principaliter significatur. Ergo synonymeitas principaliter attendi debet penes res, quas nomina significant. Tertiò: quia saltem veritas & bonitas apud diuinum intellectum erunt synonyma; quia in eo nō est pluralitas conceptuum. **Resp.** Ad primum negatur assumptum: dictum autem Aristotelis nihil aliud significat nisi res per voces significari, quod non negamus, sed dicimus voces primò & immediate significare conceptus, mediātē autem & quali secundariò res vt ostendimus supra qu. 13. art. 1. Controu. vnica. Ad secundum dico rei diffinitionem esse essentiam vt à nobis conceptam: nam diffinitio non inest rei secundum se, sed prout à nobis perfectè cognoscitur. Ad tertium negatur sequela; quia apud Deum, seipsum & suas perfectiones, prout in seipsis sunt cognoscentem, nulla est nomen pluralitas, sicut nec conceptuum.

Obi. 3. Tertium. Deus intelligit essentiam suam vt veram, vult autem vt bonam; Ergo veritas & bonitas distinguuntur ante omnem actum intellectus; Probatur consequentia; quia distinctio obiectorum præuenit distinctionem actuum, sicut causa effectum.

Sol. **Resp.** Cai. falsam esse conseq. sufficit enim (inquit) vt obiecta intellectus & voluntatis prædistinguantur fundamentaliter: nec est opus distinctione actuali pro tunc, sicut nec intellectus & voluntas Dei pro tunc distinguuntur, nisi fundamentaliter distinctione rationis.

Replica. Sed aduersus resp. hanc insurgit Rada. Primò: quia non est actualis distinctio actuum sine actuali distinctione obiectorum. Secundò: quia actus quo videt Deus suam essentiam vt veram, & actus quo vult eam vt bonam, terminatur ad re existentem à parte rei: vel igitur terminatur ad veritatem & bonitatem sub vna ratione formalis à parte rei: vel sub diuersis. Si primum: ergo actus volendi & intelligendi in Deo non distinguuntur ex parte obiecti ex natura rei, quod est absurdum: & per consequens non est dicendum; quod tendat intellectus illa in veritatem & non in bonitatem. Si secundum: ergo meam fateris sententiam. **Resp.** Ad primum negatur assumptum; sufficit enim distinctio virtualis obiectorum.

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

A Ad secundum admitto primum: Ad argumentum in contrariū respondeo eo toto admissio nullum sequi inconueniens contra nos & veritatem; nam neque actus intelligendi & volendi in Deo, distinguuntur secundum se ex parte obiecti ex natura rei, neque intellectus secundum se tendit in bonitatem vt formaliter distinctam à veritate, neque volitio in bonitatem vt formaliter distinctam à veritate; sed hæc distinctio fit per actum intellectus nostri diuina suo modo cognoscētis.

Quartum: Illa quæ formaliter distincta intelliguntur intellectu intuitiuo, habent distinctionem vt existentē: sed perfectiones diuine intelliguntur formaliter distinctæ ab ipso Deo intellectu intuitiuo; Ergo habent distinctionem vt existentem in eis: talis non potest esse distinctio rationis: oporteret enim intellectum diuinum sua intuitione causare aliquam relationem rationis in sua essentia vt existentem, quod est absurdum; igitur talis distinctio est ex natura rei. Maior patet ex differentia inter intellectum intuitiuum & abstractiuum. Minor verò est clara de se. **Resp.** Caiet. & negat minorem; Nam licet Deus intueatur perfectiones suas ab æterno distincte, non tamen ab æterno distinctas actualiter; quam asserere distinctionem rationis actualiter causari per actum intellectus diuini non sit alienum à Philosophia.

Sed responsionem hanc impugnatur Rada. Primò: Nam vel Deus videt perfectiones suas distincte ex parte obiecti, sic vt obiectum ipsum distincte concipiat, & tunc vel concipit ea vt omnino vnum formaliter à parte rei: vel vt distincta obiecta formalia; Si hoc secundum; ergo distinguuntur formaliter: si primum; ergo nō videt essentia pluribus perfectionibus simpliciter ornatam. Et præterea non videt intellectum & voluntatem vt principia diuersarum emanationum; quia videt ea vt omnino indistincta. Et præterea absurdum est intellectum intuitiuum causare entia in rebus quas intuetur; nam tunc essentia rationis esset in rebus. **Resp.** Deum intueri has perfectiones distincte. i. non confuse ex parte obiecti, & eas concipere vt vnum actu formaliter & plura virtualiter; & sic videt essentiam suam vt seipsa ornatissimam formaliter, pluribus autem perfectionibus virtualiter: & videt intellectum & voluntatem vt vnum formaliter, sed vt plura virtualiter; & consequenter etiam, vt principia duarum emanationum actualiter distinctarum. Diximus enim in precedente q. distinctionem emanationum non esse ex distinctione principiorum actuali, sed ex rationibus principiorum virtualiter inter se distinctis. Ad impugnationem entis rationis ab intellectu diuino causati, nego sequelam; Nam cum intelligit Deus intellectum suum & voluntatem per comparisonem ad nostrum intellectum & voluntatem, causat distinctionem rationis inter suum intellectum & voluntatem, quæ non est in obiectis siue obiecto, sed in solo intellectu obiectiue.

Præterea argumentatur idem auctor aduersus eandem conclusionem. Distinctio quæ est inter intellectum & voluntatem, præcedit omnem actum collatiuum intellectus. Ergo illa non est distinctio rationis. Ergo ex natura rei est formalis. Probatur antecedens; quia ante omnem actum collatiuum intellectus est principium intellectus, & non voluntas, & voluntas est principium volitionis, & non intellectus. **Resp.** falsum esse antecedens. Ad probationem nego consequentiam; sufficit enim distinctio virtualis: sicut etiam intellectus & volitio absolute sumpta, virtualiter.

G

tua-

ualiter tantum distinguuntur: De emanationibus autem iam diximus ad eas etiam sufficere virtutem principiorum distinctionem.

Alia eiusdem auctoris argumenta ex dictis facile diluuntur, nec probant nisi virtutem distinctionem attributorum & rationis actualis, prout cadunt in conceptionem nostram: & iam antea fuerant à Capr. Cai. & alijs multipliciter confutata.

Contra eandem concl. sunt argum. quæ proferunt & soluunt recentiores ferè omnes sancti Doctoris interpretes, ad quos lectorem remittimus.

CONTRA secundam concl. sunt multa argum. Aur. & Arim. relata & soluta à Capr. in dicta diff. 8. q. 4.

Obi. cont. 3.
concl.

CONTRA tertiam concl. militat eadem argumenta, quibus impugnatur prima. Sed præterea contra eam profert Rada vetera Scoti & sequacium argumenta iam soluta à Capreolo & Caiet.

Primum est. Aug. 7. de Trinit. c. 5. ait: Non eo Pater, quo Deus, nec eo Deus, quo Pater: ex quo dicto sic arguit. Deus secluso omni actu intellectus, non est Deus paternitate, sed deitate: nec Pater deitate, sed paternitate: Ergo inter paternitatem & deitatem est non identitas ex natura rei; Pater consequentia; quia si ex natura rei essent omnino idem ante operationem intellectus, Pater esset deitate Pater, & paternitate Deus, quod est contra Aug.

Resp. Cai. infra q. 39. a. 1. ad simile argumentum nos balbutiendo ut possumus excelsa Dei resonare, atque idem Aug. & Doctores, de essentia & relatione, ut de distinctis formaliter loqui: cum tamen nulla sit earum distinctio actualis à parte rei, sed virtualis tantum, quæ medio nostri intellectus actu fit distinctio rationis actualis. Unde ad argumentum, si sermo sit de ratione formali à parte rei: eadem ratione formali indissolubili Deus secluso omni opere intellectus est Pater & est Deus; nec tamen sequitur: ergo est Deus paternitate ut sic, & Pater deitate ut hic; quia fit transitus à ratione formali secundum se, siue prout est à parte rei, ad eandem prout diuersis conceptionibus à nobis cognoscitur. Sed tamen verum est, Deum esse Deum ea ratione formali, quæ non tantum est deitas, sed etiam paternitas: & eadem ratione formali Patrem esse Patrem.

Alia eiusdem auctoris argumenta ex antiqua Scotistarum officina deprompta, nihil aliud probant, quam virtutem seu fundamentalem relationis distinctionem ab essentia, ut notant etiam Capr. Cai. & alij.

CONTRA quartam & quintam conclusiones militat eadem argumenta, quæ notauimus contra secundam.

Obi. Rada
cont. 7. cōc.

CONTRA septimam arg. Rada primo. Esse Patrem non est de essentia & conceptu formali Dei. Ergo nec paternitas est de conceptu formali essentia. Conseq. tenet; quia quicquid est de conceptu formali Dei, est de conceptu formali essentia: & e converso. Antecedens probatur: quia si de conceptu formali Dei esset, quod sit Pater: sequeretur quod Filius esset Pater: Consequens est plusquam falsum; ergo & illud, ex quo sequitur: Sequela probatur. Nam quicquid est de ratione intrinseca alicuius communis, est de essentia cuiuscunque suppositi & singularis sub eo contenti. Ergo si de essentia Dei formali & essentiali est esse Patrem, similiter erit de ratione essentiali Filij sub eo contenti. Antecedens & consequentia patent ex illa regula antepredicamentali;

cum quidpiam de quopiam prædicatur, ea quæ de prædicato dicuntur per se, dicuntur etiam de subiecto. Si igitur Pater prædicatur quidditatiue & essentialiter de Deo, similiter prædicatur de Filio, de quo Deus prædicatur. Secundo, si paternitas includitur essentialiter in diuina essentia, & diuina essentia includitur formaliter in conceptu formali filiationis. Ergo & paternitas includitur in conceptu formali filiationis; Patet consequentia; quia in eius conceptu includitur diuina essentia: Ergo includitur quicquid est formaliter diuina essentia: sed Pater est talis; ergo. His argumentis vtitur etiam Zum. diff. 3. & Suar. lib. 4. c. 5.

Ad primum responderetur falsum esse antec. Ad probationem negatur conseq. Ad eius probationem dico antecedens non esse verum in prædicatis relatiuis, sed tantum in absolutis: in quo sensu etiam intelligenda est regula Arist. Nec tamen ex hoc deficit regula Arist. ut obijcit Rada, sed legitimus eius sensus exponitur præsertim in materia diuinorum, ubi etiam communitas est singularis vnus scilicet essentia numero tribus suppositis identificata. Secundo dico regulam illam, Quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto prædicati, habere hunc sensum. Quicquid dicitur de prædicato secundum eam rationem, qua vnum est cum subiecto: dicitur etiam de subiecto ipso; sic igitur esse patrem est de essentia formali Dei, & consequenter etiam est de essentia & ratione formali Filij secundum eam rationem, qua Filius & Pater vnum sunt in essentia, non autem absolute. Tertiò dico regulam illam veram esse, quando formatur propositio cum signo vniuersali omnis, vel nullus, quomodo formari non potest in presenti; falsa est enim hæc propositio: omne quod est Deus vel essentia, est Pater, nam Filius & Spiritus sanctus est secundum rem Deus & essentia: & tamen neuter eorum est Pater. Ad secundum negatur conseq. Ad probationem dico primò fieri transitum ab absoluto ad relatiuum; nam dictio quicquid significat absolutum, Pater autem significat relatiuum. Secundo respondeo veram esse consequentiam & consequens de eo quod includitur in diuina essentia secundum rationem communicabilis, non autem de eo quod in illa clauditur secundum rationem constitutibilis in esse personali incommunicabili, ut hic scitè Bannes aduertit.

Contra eandem concl. argum. Zum. Primò D. Zumeus Thom. hic ait in nomine essentia non importari respectum, sed solum in relatione; Ergo. Præterea SS. Patres Concilia communiter distinguunt essentialia à personalibus: absoluta verò dicuntur essentialia, & relatiua personalia; igitur aperte significant relationes non esse essentielles diuinitati; alias non distinguerentur à prædicatis essentialibus. Et D. Th. pluribus in locis idè significat. Eodè argumento vtitur Suar. Resp. D. Solus Th. Patres & Concilia loqui de diuina essentia, non prout in se est, sed ut præcisè concipitur à nobis secundum rationem absolutam.

Secundo: Si Paternitas & cæteræ relationes essentia sent de intellectu & ratione diuinæ essentia intrinsece & formaliter: diuina essentia non esset res absoluta sed relatiua; quod omnium Doctorum & Sanctorum sententia aduersatur. Conseq. fati liquet; nam id quod in intrinseca sua ratione formaliter cōtinet relationem, relatiuum esse debet. Resp. nullam esse consequentiam loquendo de diuina essentia secundum se & prout est à parte rei; sed sequitur illam vtrumque in

vna

vna simplicissima sui ratione completi, nempe relatiuum & absolutum, vt ante diximus.

Plura alii proferunt idem expolitor argumenta, quæ ex iactis fundamentis & responsionibus facile diluuntur: probant enim tantum relationes & personas non includi in essentia præcisè sumpta: vel non includi secundum rationem communicabilis: vel denique personas ipsas & relationes communicari secundum vnitatem essentia, quam in suis conceptibus completè sumptis includunt, & eadem ratione vnâ esse in alia.

*Suarez
Obic. cont.
eandem.
Solus.*

Contra eandem conclus. argum. *Suar. Primò.* Essentia tota est communis; ergo tota est absoluta; ergo non includit essentialiter relationes. *Resp.* Essentiam præcisè sumptam aut acceptam secundum rationem communicabilis totam esse communem, non autem secundum se siue secundum integram & completam suam rationem formalem; nam in ea clauditur essentia cum proprietatibus personarum.

Obic. 2.

Secundò: Pater communicat Filio totam substantiam & essentiam suam, vt diffinitur in capitulo Damianus, & non communicat paternitatem; Ergo paternitas non intrat rationem essentia. *Resp.* Patrem communicare totam essentiam præcisè sumptam, siue totam essentiam, secundum eam rationem qua communicabilis est, non autem secundum integram eius rationem completentem omne relatiuum & absolutum.

Sol.

Obi. 3.

Tertiò: Pater prius origine quàm generet Filium est completè & essentialiter Deus; Ergo per generationem Filij non producit aliquid quòd sit essentialis Deo; producit autem persona Filij, & nostro modo concipiendi comproducit eius relatio; Ergo illa non est essentialis Deo. *Resp.* antecedens verum esse fumendo Deum essentialiter tantum siue præcisè quo ad essentiam, non autem fumendo Deum prout in se est & vt res quadam est eminentissima, continens quiddam est absoluti & quiddam est respectui &c. prout explicauimus in tertio notabili: sic enim Deus necessario est tota Trinitas; quod nec Patri in illo priori aut post, nec vlli alia personæ conuenit. Et per hoc patet exempla eiusdem authoris petita, ex cōceptu animalis ad eius differentias diuisas comparati, & de humanitate respectu propriæ personalitatis, non esse similia, nisi fumendo Deum quo ad essentialia tantum, vel essentiam diuinam præcisè; quo modo non accipitur in nostra conclusione. Ex eisdem fundamentis ac responsionibus satisfit argumentis Vasq. in 4. c.

*Cont. eandem
Obi. Vasq. 1.*

Contra eandem concl. quatenus affirmat essentiam esse de intrinseca ratione relationum, argumentatur Vasq. c. 2. *Primò:* Essentia diuina non potest comparari cum relatione, sicut ratio entis cum ratione particulari; quia ratio entis non est vna communis omnibus entibus particularibus: atqui essentia diuina verè est vna tota in multis; Ergo potest præscindi conceptus relationis ab essentia: Consequentia probatur; quia omnis conceptus includens alium conceptum communem est resolvable in duos, qui ad inuicem non se includant. *Respondetur* primò argumentum non procedere contra conclusionem, quæ loquitur de diuina essentia & relatione secundum se non vt à nobis concipitur. *Secundò* negatur assumptum. Ad cuius probationem dico rationem entis esse vnâ & communem proportionaliter, & necessariò inclusam in conce-

Sol.

ptibus singulorum generum & specierum, & eos claudere in suo conceptu: & eodem modo diuina essentia, licet summam habeat vnitatem, intrinsecè clauditur in rationibus relationum secundum suam rationem formalem, à parte rei loquendo, & è contra; Vnde falsa est consequentia: Ad probationem dico illam concludere de essentia diuina, vt à nobis concipitur, non autem secundum se.

Secundò: Paternitas & quæuis relatio concipitur à nobis vt aliquid adueniens Deitati. Ergo non intelligitur vt includens eam formaliter in suo conceptu.

Respondetur hoc argumento probari nostram vndecimam conclusionem: procedit enim de relatione & essentia non secundum se, sed prout à nobis concipitur præcisè: vel etià prout relatio concipitur secundum suam totalem & integram rationem sic enim non includit essentiam explicitè, sed tantum implicitè & confusè; Nam sicut paternitas creata in suo completo conceptu explicitè non includit in, sed tantum implicitè: ita paternitas diuina non includit essentiam explicitè, quæ ibi est loco in, sed tantum implicitè.

Tertiò: Si essentia includeretur formaliter in cōceptu relationis, hec esset vera propositio formaliter, paternitas est essentia seu diuinitas; ergo Deus paternitate intelligit; Ergo paternitate est sapiens. Probatur hæc consequentia; quia Pater eo sapiens quo intelligit. *Respondetur* nullam esse consequ. loquendo ad sensum conclusionis de diuina essentia & relatione secundum se; Nam licet sit eadem ratio formalis essentia & relationis: est tamen plures virtualiter; propositio verò distinguit illam vnâ rationem formalem in duas; sicut etiam per modum duarum concipitur à nobis, & vnâ de altera prædicat; non potest autem prædicatio vnius de altera esse per se formalis, vt ait S. Thom. de pot. q. 8. a. 2. ad 6. propter rationem tactam in argumento; quia Deus paternitate intelligeret & paternitate esset sapiens. Radix autem responsionis est; quia, vt ante diximus, paternitas non identificatur essentia, prout essentia habet rationem communicabilis, quæ est ratio omnium absolutorum: sunt enim omnia absoluta communicabilia. *Secundò* admissa prima consequentia nego secundam; Nam etsi dicta propositio sit formalis secundum se, propter vnitatem rationis formalis secundum se: non tamen est formalis quoad nos, propter distinctionem rationis actuale in virtuali summæ ac infinitæ rei distinctione fundatam; & ideo non sequitur Deum intelligere paternitate. *Tertiò* dico probari hoc argumento nostram decimam concl.

Quartò sequeretur personâ non constitui relatione. Probatur sequela; quia persona nihil aliud est, quàm essentia relatione determinata & contracta; id autem ipsum esset relatio; siquidem includeret essentiam: sed persona non constituitur persona; ergo nec relatione: & ita Pater qui est persona, non constituetur paternitate. *Resp.* nullam esse consequ. Nam sufficit diuersus concipiendi modus & significandi concretè & abstractè, siue vt quo & vt quod: proprius enim modus constituendi in simplicibus est, vt eadem res abstractè concepta sit seipsam constituens concretè sumptam, vt significat S. Thomas infra q. 40. a. 2. ad 1. & ibi Caietanus. Quamuis ergo in paternitate includatur essentia subsistens incommunicabiliter, non tamen concipitur, quatenus subsistit vt quod, sicut persona patris, sed vt

quo. Et ex hoc occurritur cuidam instanti ei-
dem expositoris. Secundo responderetur hoc ar-
gumentum non procedere contra septimam con-
clusionem, quæ loquitur de diuina essentia & re-
latione secundum se: sed contra nonam cui satis
iam dicta patrocinantur.

Obi. 1. cont.
S. cōcl. **CONTRA octauam** concl. arg. Albertinus præ-
dictus, & primò vtitur argumento primo Zum.
& Suar. relato contra septimam conclusionem &
soluto.

Obij. 2. **Secundo** assumit in substantia duo alia priora
argumenta contra eandem septimam conclusio-
nem producta ex Rada, Zumell. & Suarez. Sic e-
nim arguit contra priorem partem conclusio-
nis. Paternitas non est de essentia Filij: Ergo nec
de essentia deitatis. Antecedens patet. Conse-
quentia probatur; Nam quidquid est de essentia
Dei, est de essentia Filij; ergo si paternitas non est
de essentia Filij, non est de essentia Dei: Antec. est
de fide; quia alioquin Filius non esset completè
Deus. *Respond.* nullam esse consequent. Ad proba-
tionem iam supra dictum. est illud antecede-
dens verum esse de eo, quod est de essentia Dei
secundum rationem communicabilis: non au-
tem de eo, quod est de essentia Dei secundum ra-
tionem incommunicabilis, siue constituibilis in
esse personali incommunicabili, sumimus enim
hic essentiam Dei prout in se est comprehen-
dens omne absolutum & relatiuum in Deo exis-
tens.

Obi. 3. **Tertio** Pater communicat Filio totam substan-
tiam & essentiam Dei, vt definit Concilium La-
teran. sed non communicat paternitatem vt sic;
quia communicatio est per identitatem; at pater-
nitas vt sic manet distincta à Filio; Ergo Paterni-
tas non est de essentia Dei. *Resp.* primam propo-
sitionem veram esse de tota essentia Dei præcisè
sumpta, sc. secundum rationem communicabilis,
& non de tota essentia vt accipitur quatenus
comprehendit in se absolutum & relatiuum, siue
prout in se est.

Obi. 4. **Quarto**: Si filiatio vt sic esset de essentia Deitatis,
sequeretur quod essentia diuina produceretur,
cum generatur Filius, vel saltem comproduceretur
aliquid pertinens ad essentiam Dei. sc. ip-
sa filiatio. Probatur sequela; quia filiatio per se
est de conceptu Deitatis. *Resp.* nullam esse conse-
seq. Ad probationem iam dictum est filiationem
esse de essentia Deitatis, non præcisè sumptæ, sed
secundum eius integram rationem, quæ compre-
hendit absolutum & relatiuum: & filiationem esse
de ratione Deitatis sic sumptæ, non secundum
rationem communicabilis, sed secundum ratio-
nem constituibilis in esse personali incommuni-
cabili; & secundum hoc admittimus, cum ge-
neratur Filius, produci aliquid pertinens ad Dei-
tatem secundum rationem constituibilis in esse
personali incommunicabili.

Obi. 5. **Quinto** probat relationes collectiue sumptas
non esse de essentia Deitatis. Esse trinum non est
de essentia Dei; ergo relationes collectiue sum-
ptæ non sunt de essentia Dei. Anteced. probatur;
Nam vel esse trinum, quod dicit omnes ratio-
nes collectiue sumptas, est de essentia Dei qua-
tenus esse trinum reperitur in omnibus perso-
nis collectiue sumptis, & hoc est falsum. Nā hinc
sequeretur, quod tantum tres personæ collectiue
sumptæ essent Deus, & non singulæ per se es-
sent Deus. Vel esse trinum reperitur in singulis
personis diuine sumptis, & hoc etiam est fal-
sum; nam Pater diuinus sumptus non est trinus,
nec Filius. *Resp.* falsum esse anteced. Ad proba-
tionem admitto primum membrum, nimirum,

quod esse trinum est de essentia Dei, quatenus
esse trinum reperitur in omnibus personis colle-
ctiue sumptis. Ad impugnationem nego seque-
lam, quæ nullam habet apparentiam; Nam esse
trinum vt est in omnibus personis collectiue,
est de essentia Dei vt est constituibilis in omni
esse personali incommunicabili sibi possibili:
vnde non dicit totam essentiam adæquate; cum
esse trinum siue trinitas, non exprimat nisi deter-
minatum numerum personarum, vt ait S. D. *infr.*
q. 37. a. 1. Nam autem diximus Deitatem secundum
se & completè sumptam, completè tam absolu-
tum quam relatiuum, & consequenter tam essen-
tiam tribus communem, quam numerum trium
personarum incommunicabilium; & ideo, non
solum tres personæ collectiue sumptæ, sed etiam
singulæ Deus sunt; quia dictio Deus dicta de sin-
gulis non prædicat trinitatem, quæ est incommu-
nicabilis, sed essentiam præcisè, quæ est commu-
nicabilis, nam sicut singulæ, ita simul omnes per-
sonæ in vna Deitate continentur incommuni-
cabili, siue secundum eam rationem, qua Deitas
est incommunicabilis.

Sexto. Essentia diuina vt essentia diuina est for-
maliter absoluta; ergo non potest includere in
suo cōceptu formali respectiui vt respectiui.
Antec. probatur ex Conc. Tolet. *in confessione fidei*,
dicente Deum non dici ad aliud, sed ad se: Pa-
trem verò dici ad Filium: quod idem dicit Aug.
lib. 7. de Trin. c. 2. *Resp.* antecedens verum esse de
Deo vt est essentia præcisè sumpta, prout à nobis
concepitur distincta contra relationes & perso-
nas: sed falsum est de Deo prout in se est & qua-
tenus non præcisè, sed integrè concipitur, quoad
omnia intrinsecè clausa in eius ratione formali &
quidditate; hæc enim sunt non tantum absoluta,
sed etiam respectiua, vt sæpe diximus & ostendi-
mus cum D. Th. & Cai. & per hoc soluitur aliud
eiusdem auctoris argumentum.

CONTRA nonam conclusionem argumenta-
tur: *Primò*: Quia contraria sententia videtur esse
D. Tho. *sup. q. 27. a. 1. ad 3.* & Cai. *Respondetur* verba
D. Thom. & Caietani oppositum expresse signi-
ficare, vt mirum sit talem illis opinionem impo-
ni.

Secundo: Quia simile quid reperimus in natura
creata, quæ si consideretur secundum se, dicit or-
dinem essentialem saltem radicalem, vt possit
contrahi ad Petrum & ad Paulum: ita tamen
vt contracta per Petreitatem excludat Pauleita-
tem, & è contra; alioquin sequeretur quod na-
tura humana in Petro non diceret ordinem com-
municabilitatis ad Paulum; atque adeo aliquid
prædicatum essentiale deesset Petro, si commu-
nicabilitas esset de essentia naturæ: Ergo ita et-
iam suo modo Philosophandum est de essen-
tia diuina & relationibus; ita vt quæ intelligitur
modificata in Patre, excludat esse Filij personali-
ter. *Resp.* primò communicabilitatem non esse de
essentia naturæ humanæ prout est in Petro; sic e-
nim est indiuidua & incommunicabilis; an au-
tem & quomodo communicabilitas sit de essen-
tia naturæ communicabilis, dicemus *infra q. 41. a. 1.*
Deinde respondeo nullam esse consequentiam:
quia diuina natura est vna numero & necessariò
& per se subsistit in tribus: natura autem humana
secundum se non est vna numero sed specie: & i-
deo prædicto modo habet ordinem ad substan-
tiam.

Dein.

Deinde duobus alijs argumentis nititur probare sententiam suam, cum tamen nihil euidentius probent, quam nostram illam decimam conclusionem.

CONTRA decimam militat vniuersa ferè argumenta relata contra septimam conclusionem & soluta.

CONTRA vndecimam concl. argum. Suarez in dicto lib. 4. c. 7. sed eius argumenta probant tantum nostram septimam & decimam conclusionem.

Obi. cont. 11. concl.

CONTRA eandem concl. argum. Zum. Impossibile est præscindere relationem diuinam à ratione entis. Ergo impossibile est illam præscindere à ratione entis increati. Ergo relatio diuina essentialiter est Deus. Probatur prima consequentia; quia relatio diuina includit rationem entis determinatam & particularem, & consequenter vel creatam vel incretam: non primam; ergo secundam; secunda consequentia patet. Resp. admissa prima consequent. falsam esse secundam in sensu formali: Nam ens incretum est absolutum & relatiuum: quare sicut non est bona deductio; Est ens, ergo est absolutum: ita non est illatio recta formaliter: est ens incretum, ergo est Deus: Sed tantum sequitur, ergo vel est Deus formaliter, vel proprietas siue respectus Dei formaliter: Deus autem realiter. Secundo respondetur hoc argumento probari nostram septimam conclusionem.

CONTRA prædictas conclusiones sunt alia argum. ab expositioribus proposita & soluta, ac præsertim à Ban. & Zum.

Molin. dicit imp. a. 11.

Ex dictis patet primam concl. Mol. disp. 6. dicere implicentia, sic enim ait; Relatio diuina præcisè considerata qua relatio; vt paternitas præcisè, qua respectus est Patris ad Filium, proprietateque personalis Patris, idem est re & ratione formali, cum essentia diuina; nam si concipitur vt proprietate Patris, iam hoc ipso intelligitur vt formaliter ab essentia distincta; Nec consequenter loquitur idem expositior in 4. conclus. cum ait, sumptis essentia & relatione eodem modo, scilicet præcisè, essentia non est de intrinseca ratione relationis: nam si de relatione & essentia secundum se loquamur, vt ibidem intendit Molina, vna est vtriusque ratio formalis, vt idem expositior affirmat in 5. disp. & consequenter necessariò sese mutuo includunt; & rursus si de relatione & essentia secundum se loquitur, non rectè adhibet vocem illam præcisè, quæ ad modum nostrum concipiendi pertinet.

De sententia verò Pef. & eius distinctionibus ac dictis, quæ minimè necessaria videntur in re proposita, satis apparet ex fundamentis & responsionibus, quid habeant veritatis; non enim vacat nec expedit placita cuiusvis scribentis sigillatim examinare.

SECUNDA CONTROVERSA.

An relatio realis dicat perfectionem.

Ratio, & sensus quaest. 11.

PROPRIA sedes huius Contr. est in q. 42. a. 7. Vbi agitur de æqualitate diuinarum personarum. Sed quoniam hic eam tangit Cai. in resp. ad 3. arg. D. Th. & ex recentioribus quàm plures hic eam examinant, & huic loco vbi de relationum identitate cum essentia differitur, satis est opportuna & præcedenti Controuersiæ non modicum lucis est allatura, operepretium duxi hic eam examinare, ac iuxta mentem A. D. & eius scholæ diffinire.

A Ad cuius intelligentiam aduerte duo; Primum propositum fuisse quæsitum de relatione reali simpliciter: sed quod hic præcipue intendimus, est quærere: num relatio realis formaliter sumpta, i. quo ad id, quo à cæteris differt, sc. ad reale, quatenus reale est, & non secundum suam communissimam & formalissimam rationem præcisè, sc. in quantum ad, dicat perfectionem. Secundum est hic de reali relatione absolute propositam fuisse controuersiam, vt ex communibus omni relationi reali formaliter sumptæ facile colligamus: an diuina relatio formaliter sit perfectio.

B TORRES super hoc art. disp. 3. par. 2. circ. fin. duo dicit: Primum, Relatio diuina est perfectio infinita: Secundum, Eadem est perfectio paternitatis & filiationis.

Sententia Doctorum.

Bannes dicit sex. Primum. Relatio vt dicit in, est perfectio siue in creaturis siue in Deo: in creaturis quidem finita & accidentalis: in Deo autem infinita & substantialis. Secundum. Relatio secundum propriam & communem rationem præcisè prout scilicet dicit respectum ad aliquid distinctum, neque importat perfectionem neque imperfectionem. Tertium. Relatio diuina quatenus dicit ad diuinum, dicit perfectionem simpliciter & infinitam. Quartum. Paternitas quatenus dicit ad reale, abstrahendo à paternitate diuina, dicit perfectionem. Quintum. Si loquamur simpliciter, omnis relatio realis formaliter est perfectio. Sextum. Eadem perfectio est paternitas & filiatio.

Zum. disp. 5. suam opinionem explicat sex propositionibus. Prima. Relationes diuina secundum totum quod in se habent, tam absolutum quam respectiuium, tam commune quam proprium, dicunt perfectionem, ac proinde relatio diuina vt sic dicit perfectionem infinitam. Secunda. Relatio non solum secundum rationem communem vt dicit in, est perfectio tam in creaturis quam in Deo, sed etiam quatenus dicit ad reale. Tertia. Absolute loquendo, omnis relatio formaliter est perfectio. Quarta. Diuina relatio & essentia sicut distinguuntur ratione in esse rei, ita etiam in esse perfectionis. Quinta. Perfectio quam importat relatio vt sic, non est eadem secundum rationem, seu formaliter in omnibus diuinis relationibus. Sexta. Non est concedendum aliquo modo, quod aliqua perfectio sit in vna persona, quæ non sit in alia.

Val. in art. præced. dicit quinque. Primum: Relatio diuina formaliter vt relatio est, dicit perfectionem simpliciter infinitam quoad conceptum obiectiuium. Secundum. Relatio diuina quo ad significatum siue conceptum formalem communem etiam relationibus creatis, non abstrahit à perfectione: ita vt per alium conceptum non possit concipi perfectio formaliter in eo, cui tribuimus conceptum relationis. Tertium. Hæc propositio: Aliqua perfectio est in vna persona quæ non est in alia, vera est si intelligatur quatenus personæ opponuntur & distinguuntur ab inuicem: non autem simpliciter. Nam vnius personæ perfectio est alterius, vt est vnum in essentia cum illa. Quartum. Concedi potest in diuinis esse tres infinitates respectiuias seu relatiuias. Quintum. Relatio diuina est perfectio simpliciter simplex.

Vasq. c. 6. & 7. sequitur sententiam Turriani & addit tria. Primum est. Si de perfectione, quæ est passio entis & idem est quod integritas rei, loquamur: in Deo vna tantum est perfectio.

Secundum Si de perfectione loquamur, quatenus perfectio dicitur, quidquid ad integritatem aliquius pertinet & ipsum integrat & perficit, ut ei consentaneum & conueniens: non sunt in Deo tres perfectiones reales, sed sunt tres perfectiones secundum rationem. *Tertium*. Non sunt in Deo concedendæ tres infinitates.

Suar. lib. 9. de Trin. c. 9. & 10. reiectis duobus his prioribus dictis Vsq. dicit quinque. *Primum*. Relatio diuina v.g. paternitas ex proprio conceptu dicit realem perfectionem seu bonitatem transcendentalem. *Secundum*. Perfectio, quam dicit relatio secundum propriam rationem, relatiua est. *Tertium*. Perfectiones personales seu relatiuæ in diuinis multiplicantur, atque adeo realiter distinguuntur inter se. *Quartum*. Perfectio relatiua, non est perfectio simpliciter simplex. *Quintum*. Persona diuina ex vi sue relationis habet infinitatem, non simpliciter in genere entis; hanc enim habent relationes ab essentia, sed in tali genere seu quasi in specie; idem affirmat *dispositio. Meth. 10. sect. 3.*

Pelantius *dispositio. 9.* duo dicit. *Primum* est: Relationes formaliter sumptæ non dicunt perfectionem simpliciter: prout verò identificantur essentialiter, dicunt perfectionem simpliciter infinitam. *Secundum*. Relationes diuinæ secundum propriam rationem relationis dicunt perfectionem in proprio genere.

Cap. in 1. dist. 7. q. 1. ad 3. *Aur.* duo dicit: *Primum*. Relatio in quantum huiusmodi non dicit perfectionem. *Secundum*. Paternitas diuina, quatenus est essentia, eadem est perfectio, quæ est filiatio; ut est essentia. Eandem sententiam sequitur Cai. super hoc a. & q. seq. ar. 3. & de ente & essentia cap. 2. com. 2. ubi definit perfectionem simpliciter Ferrariensis in 2. contra gent. c. 9. Iauellus & Ripa super hoc a quæ fuit etiam sententia Scoti in 5. quolib. & alibi. Rich. in 1. dist. 24. q. 1. a. 1. q. 3. ad 1. Durand. in 3. dist. 1. q. 3. & Arimin. in 1. dist. 20. q. 1. a. 1. & aliorum veterum Scholasticorum quos Neoterici referunt. Eandem sententiam quo ad relationes diuinas sequitur Mol. inf. q. 42. a. 6. *dispositio. 2.* & addit duo. *Primum*. Relationes diuinæ neque sunt finitæ neque infinitæ. *Secundum*. Probabile est relationes creatas formaliter sumptas dicere perfectionem.

Resolutio.
Probatur
multiplici-
ter relatio-
ne prout di-
git ad reale
non esse per-
fectionem.

DE RELATIONE diuina formaliter dupliciter loqui possumus. *Vno modo* secundum se, id est, prout consideratur sub ea ratione formali, quæ diuinæ relationi conuenit, ut est à parte rei. *Alio modo* quatenus à nobis concipitur. Non est hic sermo de relatione priori modo sumpta. Nam cum vna sit ratio diuinitatis simplicissima & infinite perfecta complectens rationem omnem absoluti, & relatiui existentis in Deo: necesse est ut ratio formalis relationis, prout est à parte rei, sit perfectio simpliciter & infinita: questio igitur est de diuina relatione, prout à nobis præcisè concipitur secundum propriam rationem, qua distinguitur ab essentia & à quouis absoluto de Deo cognito.

Secundo, Recolenda est ea differentia, quam statuit hic S. D. inter relationem secundum propriam eius rationem, & alia genera accidentium secundum propriam item rationem considerata: quod in alijs generibus propria ratio generis accipitur secundum comparisonem ad subiectum: sed ratio propria relationis non attenditur ex ordine ad subiectum in quo est, sed secundum comparisonem ad aliquid extra. Quo fit, ut considerando relationes, sub ea præcisè ratione qua relationes sunt, sint assistentes non

autem intrinsecus affixæ: quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatum, prout ab ea tendit in alterum, ut ait S. D. in textu; quamuis relatio quatenus accidens sit inherens subiecto & habens esse accidentale in ipso, quod esse supra diximus cum eodem A. D. & Caietano non esse relatiuum, sed absolutum.

TERTIO Sciendum est de relatione, ut relatio est, dupliciter nos loqui posse. *Vno modo*, quatenus particula illa, ut relatio est, reduplicat rationem formalem relationis integrè sumptam, nimirum quoad omnia intrinsecè clausa in eius ratione siue sint propria siue communia in quo sensu dicimur loqui de relatione simpliciter, id est absolute; & hoc modo relatio ut relatio includit ad & in, id est, rationem propriam relationis, & rationem accidentis sibi communem cum cæteris octo rerum generibus à substantia distinctis. *Alio modo* loqui possumus de relatione, ut relatio est, quatenus particula illa ut relatio est, reduplicat præcisè rationem propriam formalem, qua differt à cæteris rerum generibus: & sic relatio ut relatio; etiam realis de qua modo quærimus, includit tantum ad, id est respectum ad terminum: qui respectus ad terminum in relationibus realibus est realis realitate formaliter distincta modo nostro intelligendi, ab ea quam habet relatio ut accidens est, si sermo sit de relatione creata; vel ut substantia est, loquendo de relatione increata. Quod autem respectus ille sit realis pater; quoniam realiter refert & realiter distinguit vnum relatiuum ab altero correlatiuo. Quod verò talis respectus formaliter distinguatur à ratione formali in, quæ relationi conuenit in ordine ad subiectum, patet primo: quia ratio accidentis, quæ est ratio in, est communissima: respectus autem proprius est relationis. *Secundo*: quia ratio in potest esse sine ad, ut patet in alijs prædicamentis accidentis, & præsertim in quantitate & qualitate: non potest autem esse ad reale, sine in sibi in vnitate reali coniuncto. *Tertio*: quia in diuinis substantia, quæ est loco in, est vna & eadem numero communis tribus personis: nulla verò relatio siue respectus realis in diuinis tribus est hypostasis communis; quinimò singularum relationum siue respectuum oppositionibus ac proprietatibus distinguuntur realiter ab inuicem diuinæ personæ. Quamuis itaque duæ prædictæ rationes, nimirum ad & in secundum se sint vna ratio formalis simplicissima & infinita: distinguuntur tamen quoad nos ratione formaliter.

Nec verum est quod affirmat Suar. & quidam alij, in quolibet accidentis genere & in singulis cuiusvis generis modis intrinsecè claudere rationem in, sicut ratio entis intimè clauditur in omni re & quolibet eius modo ac differentia. Nam quod enti conuenit ob eius amplissimam communitatem qua res omnes & earum modos ac vltimas earum differentias circumplectitur: nullo probabilitatis colore ad specialem eiusdem entis modum, qualis est ratio formalis accidentis, extenditur, ut scilicet eodem modo sicut ens formaliter & intimè claudatur, non solum in rerum generibus, verum etiam in omnibus eorum distinctiuis: quamuis enim relatio & eius ad reale proprium suum habeat esse reale, quo realiter inest subiecto: illud tamen esse non est relatiuum sed absolutum, ut ante diximus: ac proinde non pertinet ad rationem formalem propriam relationis, ut relatio est, quæ consideratur in ordine ad extrinsecum,

Concl. Suar.

cum; immò manifesta est implicatio dicere ad reale formaliter includere in reale; cum realitas ad tota formaliter sit ad terminum, vt terminus est præcisè, cui hoc ipso quod est respectus realis ad ipsum, eidem realiter opponitur, & ab eo realiter distinguitur relatiuum; alioquin si realitas siue entitas ipsius ad non esset ad terminum vt sic, nec realiter haberet ad ipsum oppositionem nec realiter ab eo distingueret. Realitas verò in, tota est ad subiectum, quæ longè diuersa & opposita est habitudo ad genus relationis vt sic minime pertinet, sed nuncupata transcendens; quia nouem circuit rerum genera; propter quam habitudinem, relationi reali simpliciter siue secundum integram eius rationem accepta, conuenit ratio bonitatis ac perfectionis: Diximus enim supra q. 5. a. 1. in controu. vnica bonum addere rationem non solum perfecti sed etiam perfectiui super ens: Constat autem perfectiui dici in ordine ad perfectibile, non autem in ordine ad extrinsecum terminum vt terminus est præcisè. Itaque ratio boni & consequenter perfecti rationem habet, quatenus dicit in: cuius ratio non est relatiua formaliter relatione prædicamentali, sed est absoluta.

Ad cuius euidenciam scito vtramque rationem relationis scilicet ad & in, esse realem formaliter & intrinsecè, realitatemque in vtraque ratione modificari & distingui ac limitari formaliter iuxta naturam & modum rationis vtriusque: quod fit vt realitas relationis quantum ad in, sit secundum se tota & quidditatiue propendens in subiectum vt perfectiui in perfectibile; sicut etiam in formaliter dicit ordinem ad subiectum; realitas verò relationis quo ad rationem respectus significati per dictionem ad, secundum se tota feratur in terminum: sicut ratio formalis ad secundum se & quidditatiue est ad terminum. Et quemadmodum ratio formalis in, quæ est habitudo ad subiectum, realis est formaliter & intimè ex propria realitate: ita realitas ex ipso ad formaliter & intimè siue essentialiter ordinè habet ad terminum: adeò vt tota ratio formalis ad relationis realis sit intimè realis; & tota eius realitas sit intimè ad terminum; & sicut in non est formaliter ad: ita realitas in non est formaliter realitas ad.

Ex his sequitur primò Suar. & alios Neothericos pungentia dicere, cū asserunt relatione dicere perfectione relatiuum formaliter. Nā perfectio fit semper secundum aliquod esse: omne verò esse absolutum est, vt sæpe diximus.

Secundò sequitur respectum omnem realem significatum nomine ad realis abstrahere à perfectione & imperfectione, vt affirmant antiquiores Thomistæ.

Tertiò sequitur nullam esse consequentiam illam Suar. & aliorum: Relatio realis puta paternitas formaliter dicit respectum realem siue realitatem respectus; Ergo formaliter dicit perfectionem; quoniam non dicit realitatem illam in ordine ad subiectum perfectibile, sed in ordine ad extrinsecum terminum. Sicut etiam non valet hæc consequentia: Mathematica formaliter sunt entia; Ergo Mathematica formaliter sunt bona; quia scilicet Mathematica formaliter non dicunt rationem perfectiui, etiam si intrinsecè claudant rationem entis. Cum itaque respectus realis relationis, siue ad reale nec habeat ratione perfectiui, nec includat rationem in, non erit formaliter perfectio neque bonum: & si relatio

A simpliciter & integrè sumpta perfecta sit & bona.

POSTREMO considerandum est, quòd quamuis diuinæ relationis ad siue respectus non sit formaliter perfectio, est tamen ex ijs quæ necessariò requiruntur ad summam & infinitam perfectionem diuinitatis completè & integrè sumpta, prout in se est. Nam vt sæpe diximus, diuinitas prout in se est, claudit intrinsecè rationem omnem absoluti & relatiui in Deo formaliter existentis; quod fortè significare voluit Vasq. capitulo 6. quem immerito Suar. impugnatur in dicto capitulo 9. Nam etsi nomen integritatis iuxta primæuam suæ impositionis originem diuinitati non congruat: quatenus tamen integritas per-

B sectionem significat, & complementum aut negationem defectus in quidditate seu ratione formali deitatis, illi quàm maximè conuenit: Nec tamen sequitur Patrem non esse integrè Deum, eo quod non est tres relationes, quæ sunt de integritate Dei. Nam vt in præcedenti controu. diximus, vbi etiam huic & similibus argumentis satisfecimus, relationes non includuntur in diuinitate formaliter, prout est communicabilis, sed tantum vt est constituibilis in esse personali incommunicabili. Quamobrem hæc perfectio, quæ modo nostro intelligendi confurgit in vna & simplicissima ratione deitatis ex absoluto & respectiuis, neque est essentialis præcisè, prout essentialiter distinguitur contra relatiuum aut personale: neque est personalis præcisè: neque unitatem habet per modum collectionis aut numeri, licet includat oppositas relationes realiter inter se distinctas: quoniam hæc perfectionis unitas & integras attenditur secundum essentiam & relationes, quatenus in vnum esse conueniunt cuius summam ac maximam unitatem non destruit realis distinctio relationum & trinitas personarum, vt ostendimus cum D. Thom. supra questione vndecima, a. 4.

Et ex his cessant ea omnia, quæ Vasquezio & in hac parte etiam Caiet. & nobis obijcit Suar. in dicto 9. capitulo: qui etiam in capite sequenti, scilicet decimo, contra communem scholasticorum sententiam statuit in diuinis perfectiones formaliter, quæ tamen non sint perfectiones simpliciter: has verò vult esse relationes ad intra; quas ait non esse perfectiones simpliciter sed in suo genere; quia cum sint oppositæ non possunt simul eidem personæ conuenire; & consequenter (ait) fit, vt neutra sit melior in omni ente seu persona, quàm opposita, quòd tamen est de ratione perfectionis simpliciter, vt ait Ansel. in Monologio cap. 15. Notissima est enim differentia inter perfectiones simpliciter & perfectiones in tali genere siue secundum quid: quòd illæ de Deo dicuntur formaliter & propriè: hæc verò non nisi virtualiter & Metaphoricè, vt supra diximus questione prima, & alibi sæpe cum D. Thom. q. 13. art. 3. vbi rem hanc explicauimus ex eodem S. D. in primo contra gent. cap. 30. Maneat itaque relationem formaliter ac præcisè sumptam non dicere perfectionem neque imperfectionem, vt affirmant Capr. Cai. & alij Thomistæ communiter.

PRIMA CONCL. apud omnes indubitata. conclusio. Relatio realis vt dicit in, id est sub ea ratione qua potest dici aliquid in re, cuius est relatio, dicit perfectionem, &c. præ tam in Deo, quàm in creaturis. Probatur. Relatio in creaturis vt dicit in, comparatur ad subiectum,

Relationes diuinas intrinsecè claudunt in perfectione diuina.

Defendunt Cai. & Vasquez a Suar. rezo.

Impugnatur Suar. rezo.

Etiam, ut actus perfecti-
us ad potetiam perfecti-
bilibem: Relatio verò diuina, ut dicit in, est ipsa
substantia diuina, ut ait S. D. hic ad 3. Ergo ut sic
dicit perfectionem. Hanc conclusionem probat
ea omnia argumenta, quibus probatur relatione
simpliciter siue absolute vel secundum integram
& completam sui rationem consideratam, dicere
perfectionem: sic enim includit in, ratione cuius
perfectio quædam est.

SECUNDA CONCL. Relatio diuina, quatenus
eandem habet non solum entitatem, sed etiam ratio-
nem formalem à parte rei cum essentia diuina, est per-
fectio simpliciter. Probatur: quia deitas compre-
hendens in vna re & ratione formali simplicissi-
ma essentiam & relationes, est infinita formaliter
perfectio; Ergo &c. Probatur sequelæ: quia non
est intelligibile, vnam & indiuisibilem rationem
formalem esse perfectionem & non esse perfectio-
nem.

TERTIA CONCL. Relatio realis, secundum in-
tegram & completam sui rationem formalem dicit per-
fectionem. Probatur: quia relatio creata, puta pa-
ternitas, in suo formali conceptu integro & to-
tali, intrinsece claudit accidens quod est subie-
cti perfectiui; Ergo ut sic est perfectio. Antecedens
probatur: quoniam accidens quidditatiue
& essentialiter prædicatur de quolibet genere &
specie accidentis; Ergo etiam de relatione; Et fi-
cut ens non addit specialem gradum supra ratio-
nes genericas aut específicas; ita nec accidens spe-
cialem aliquem addit gradum supra rationes ge-
nerum aut specierum, de quibus prædicatur;
Relatio verò diuina complete sumpta intrinsece
& essentialiter est diuina essentia, ut ante dixi-
mus; Ergo ut sic est perfectio. Secundò proba-
tur conclusio: quia ens quod diuiditur in decem
prædicamenta, conuertitur cum bono, ut ostē-
dimus supra q. 3. art. 5. in 2. contr. Ergo relatio
quæ vnum est ex prædicamentis, integrè sum-
pta est bona atque adeo perfecta: nam vnūquod-
que dicitur bonum quatenus perfectum. Nec
verum est aut probabile, bonum non esse passio-
nem entis in communi, sed entis dumtaxat ab-
soluti ut admittit Molina: sic enim bonum non
esset adæquata passio entis: cuius tamen opposi-
tum affirmant omnes antiquiores Methaphysici
cum Arist. & præsertim D. Th. supra quest. 5. a.
3. & alibi sæpè. Hanc conclusionem probant mul-
ta ex illis argumentis, quibus recentiores proba-
re intendunt, relationem formaliter dicere per-
fectionem. Ex his sequitur relationem omnem
realem simpliciter & absolute loquendo dicere
perfectionem: quia relatio absolute includit in,
cuius ratio perfectio quædam est; igitur relatio
absolute loquendo perfectio est.

QUARTA CONCL. Relatio realis siue creata
siue increata formaliter sumpta, id est, prout dicit ad
reale siue respectum realem ad terminum, non dicit
perfectionem aut imperfectionem, sed abstrahit à per-
fectione & imperfectione. De hac conclusione præ-
cipue nobis hic est cum aduersarijs disputatio.
Probatur primò. Omnis perfectio formaliter ut
perfectio inest ei, cuius est perfectio: Sed relatio
formaliter non inest; Ergo formaliter non est
perfectio. Maior patet. Minor probatur: quia
relatio realis ut sic ex sua ratione formali scilicet
ad reali, hoc habet præcisè ut respiciat ex-
trinsecum terminum; Ergo &c. Antecedens pa-
tet ex dictis: quia realis oppositio & distinctio,
est proprius & adæquatus effectus formalis re-
spectus realis: alioquin eadem realitas respectus
formaliter sumpta, scilicet in ordine ad termi-

num, alium etiam haberet respectum, siue po-
tius esset alius respectus formaliter ad subie-
ctum: quod nullus sanæ mentis admittet. Quæ-
uis igitur relatio absolute loquendo habeat in-
trinsece ut sit perfectio subiecti: formaliter ta-
men sumpta ut explicauimus, non est nec intel-
ligitur esse perfectio subiecti; Distinguitur au-
tem hæc ratio formalis ad, in relationibus crea-
tis plusquam virtualiter, scilicet ex natura rei,
siue realiter formaliter, à ratione in, quæ est om-
nibus accidentibus communis: differunt enim
hæ duæ rationes sicut relatiuum & absolutum;
Nam, ut diximus, in esse relationis est absolutum;
In relatione verò diuina sola potest esse virtu-
alis distinctio inter prædictas duas rationes in
vna relationis integra ratione conclusa. Ex quo
patet solutionem Bannesij non infringere, sed
augere potius vim argumenti. Secundò. Paterni-
tas ratione sui ad realis, quo respicit terminum,
scilicet filiationem vel Filium, neque est perfe-
ctio Filij neque Patris. Ergo non est formaliter
perfectio. Consequentia videtur euidens. An-
tecedens quo ad priorem partem probatur: quia
paternitas est à Filio extrinseca, & respicit ip-
sum ut terminum præcisè; Ergo non est eius per-
fectio. Posterior verò pars ex dictis est manife-
sta: quia realitas ipsius ad formaliter non est ad
subiectum; Ergo ad paternitatis non est formaliter
perfectio patris.

Sed ait Suar. quod licet relationes creatae non
dicerent realem perfectionem, id tamen non ef-
ferre tribuendū relationibus diuinis, propter sum-
mam excellentiam earum magnamque analogiā,
& præsertim quia sunt subsistentes, & suo modo
terminant & quasi modificant diuinam naturam
&c. Sed hæc non tollunt vim argumenti: nam in
primis analogia nihil aliud efficit, nisi ut sicut
analogi ratio communis proportionaliter ead-
em clauditur in quolibet analogato integrè
sumpto, ita cuiusvis analogati propria ratio
clauditur in communi ratione analogi: quia non
abstrahit ab analogatis: cum sint diuersa simpli-
citer, idem autem secundum quid scilicet pro-
portionaliter. Constat autem proprium & for-
malem rationem realis relationis ut sic, & con-
sequenter talis relationis, puta paternitatis, for-
maliter ut respicit filium, dicere realitatem for-
maliter & præcisè respectiuam ad terminum: ac
proinde si diuinæ relationes verè & propriè rea-
les sunt, ut ex fide supponimus, necesse est eas
rationem analogi communis participare, atque
adeo formaliter respicere terminum ut sic præ-
cisè; & consequenter abstrahere à perfectione
& imperfectione. Quod verò subsistant, ter-
minant & modificent diuinam naturam, con-
gruit illis quatenus diuinæ sunt & realiter ex-
dem cum Dei substantia, non autem sub ea ra-
tione qua respectiuæ sunt. Vnde quicquid in-
est perfectionis diuinis relationibus siue perso-
nis, conuenit illis ab essentia formaliter quate-
nus cum ea realiter identificantur. Nam ut ait
S. D. infra q. 42. a. 4. ad 2. paternitas est digni-
tas Patris, sicut paternitas est essentia Patris: est
autem paternitas essentia Patris, non formaliter
sed realiter tantum iuxta modum nostrū intelli-
gendi loquendo: Nam dignitas (inquit D. Th.)
est absoluta & ad essentiam pertinet.

Tertio. Si relatio formaliter & præcisè sumpta
dicit perfectionem: vel dicit perfectionem finitā vel
infinitā. Non finitā: quia nihil finitum est in
Deo; neq; infinitā: quia alioquin sequeretur,
q. vna relatio, puta paternitas, includeret in suo

Responsio
Molina ad
Suar.

Constatia

for-

formali conceptu omnem rationem relationis A etiam diuinæ, & consequenter filiationem & spirationem & processionem. Conseq. probatur; Quia de ratione infiniti in quolibet genere entis est, ut in seipso claudat rationem omnem illius generis. Cum itaque filio, spiratio & processio rationes quædam sint diuinarum relationum, sequitur eas in paternitate formaliter claudere; & sic paternitas formaliter & realiter erit filio, & spiratio ac processio: sicut iustitia in Deo formaliter est misericordia: quod est hæreticum.

Responsio
Bannetij.

Ban. existimat hoc argumento conclusionem efficaciter non probari, sed solui posse. Nam si loquamur (inquit) de relatione diuina, quatenus dicit ad diuinum, dicit perfectionem infinitam: sed tunc non consideratur purum ad, sed ad quatenus est diuinum; Et similiter paternitas diuina, quatenus diuina est, dicit perfectionem infinitam paternitatis. Deinde, si in diuina paternitate consideretur non solum ad, sed ad paternitatem scilicet respectus huius relationis specialis, qui est paternitas, etiam abstrahenda à diuina paternitate, prout diuina est: fateor (inquit) quod dicit perfectionem, & quod paternitas in eo quod paternitas dicit talem relationem realem scilicet fundatam super actione, quæ tamen perfectio non est finita, neque infinita, sed sicut abstrahit à creata vel increata paternitate, ita & à finita vel infinita perfectione. Sed non soluit nodum; quoniam, ut in tertio notabili diximus, ad reale formaliter respicit extrinsecum terminum, non autem subiectum vel fundamentum; unde formaliter non dicit perfectionem, sed tantum, ut integrè sumitur relatio, ut & significat responsio.

Responsio
Suarezij.

Suar. lib. 3. c. 10. ait personam habere infinitatem ex vi relationis non simpliciter in genere entis, cum hanc habeant relationes ab essentia, sed in tali genere seu quasi specie; Et ideo non sequitur (inquit) vnā relationem formaliter includere perfectionem alterius, quod suo modo in attributis diuinis considerare licet. Nam intellectus diuinus præcisè conceptus perfectionem dicit, & infinitam in ratione intellectus, in qua non includit formaliter perfectionem voluntatis; & quamuis in re ipsa includat illam ratione infinitatis simpliciter, & in genere entis, non tamen ex vi propria ac formali infinitatis. Sed hac solutio plura non euitat alia absurda, nimirum perfectionem cuiusvis diuinæ relationis esse finitam simpliciter, & aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in alia, & plures esse realiter in Deo perfectiones. Concedit autem

Confut.

Responsio
Suarezij.

Suar. ut minimè absurda, duo posteriora, sed primum negat dicens perfectionem relatiuam non esse perfectionem simpliciter, non ex imperfectione aut limitatione, sed ex oppositione, quam habet cum alia æquali perfectione. Sed in primis, ut ante diximus, contradictionem inuoluit dicere perfectionem relatiuam; nam relatiuum ut sic, extrinsecum terminum respicit, cuius non est perfectio, & multò minus subiecti, quod non respicit. Deinde inaudium est in doctrina SS. Patrum plures & realiter distinctas esse diuinarum personarum perfectiones. Præterea sic argumentor. Quod est quantum quantitate perfectionis & non est infinitum simpliciter, sed tantum in specie, necessariò est finitum & limitatum; sed relationes diuinæ, secundum Suarezium, sunt quantæ quantitate perfectionali, nec sunt infinitæ simpliciter, sed tantum in specie; Igitur erunt simpliciter finitæ & limitatæ. Maior

Confut.

probat: finitum esse vel infinitum per se conuenit quantitati, sicut numero par vel impar; Ergò omne quantum quod non est infinitum est finitum: ac proinde nos, qui relationes formaliter ac præcisè sumptas negamus esse quantas perfectionaliter, consequenter etiam negamus eas esse finitas vel infinitas. Subinde exemplum diuini intellectus bene perpensum cõcludit oppositum; nam quamuis intellectus præcisè sumptus secundum nostrum modum intelligendi in suo conceptu & ratione formali non claudat rationem siue perfectionem voluntatis ut sic; tamen secundum se siue à parte rei, ratio & perfectio intellectus, est ratio & perfectio voluntatis realiter & formaliter; Igitur pari modo perfectio paternitatis, secundum eius ad reale, secundum se erit perfectio filiationis, & aliarum diuinarum relationum, secundum earum ad reale, realiter & formaliter; quod est erroneum; cum tollat trinitatem personarum.

Postremò. Perfectio ut sic dicit esse & actualitatem, cum dicat ordinem ad perfectibile, quod ex ea perfectum denominatur; Igitur nomen perfectionis verè & propriè absolutum est secundum totum suæ significationis ambitum; Ergò nulla est perfectio relatiua formaliter. Ex dictis sequitur non esse in Deo tres infinitates, sed vnā tantum, nec tres perfectiones relatiuas, sed vnā tantum.

QVINTA CONC. Relatio realis, quo ad conceptum tam formalem quam obiectiuum, abstrahit à perfectione & imperfectione. Probatur: quia sibi inuicem adaquantur & correspondent hi duo conceptus; Ergò eandem abstractionem quam habet formalis, habet & obiectiuus, ut etiā supra probauimus. Constat autè ex dictis, relationem realem formaliter, id est ratione ad realem, abstrahere à perfectione quo ad alterutrum duorum conceptuum; Ergò quo ad vtrumque.

CONTRA quartam concl. de qua sola propriè est controuersia, sunt argumenta Bannetij ab eodem soluta.

CONTRA eandem concl. argum. Zumel. Paternitas diuina, ut est relatio, est ens reale; Ergò ut sic dicit perfectionem. Probatur consequentia. Primò: quia impossibile est intelligere ens reale sine aliqua perfectione. Secundò. Quicquid est in Deo, prout est in illo, dicit perfectionem; Ergò. Probatur hoc antecedens. Primò; quia quicquid est in Deo est formaliter ipse Deus. Secundò, impossibile est esse aliquid in Deo, quod nullam dicat perfectionem. Probatur hoc antecedens; quia imperfectio non est quid positiuum, sed carentia perfectionis de formali; Ergò nulla potest esse maior imperfectio in Deo, quàm nulla dicere perfectionem. Quod si dicatur imperfectio non esse quamcunque carentiam perfectionis, sed carentiam perfectionis debitæ inesse; Contra sic arguit: Summa imperfectio videtur rem esse talem, ut nulla illi debeat perfectio. Ergò. &c. Resp. nullam esse consequ. ut latè superius ostendimus. Ad primam probationem negatur assumptum. Ad secundam dico antecedens duplicem habere sensum. Prior est: Quicquid est in Deo, prout est in illo, scilicet ratione qua formaliter inest, dicit perfectionem, & hic sensus est verissimus, sed falsa est consequentia; quia relatio formaliter non inest. Posterior sensus est: Quicquid est in Deo id est Deo conuenit, prout est in illo id est prout illi conuenit, dicit perfectionem formaliter; & in hoc sensu falsum est antecedens, Nā incommunicabilitas Deo conuenit,

Zumellus
obi. 4. conca

solutio

nit,

nit, quæ tamen nullâ perfectionem dicit formaliter; & similiter alia, quæ de Deo negatiue dicitur; Quod si ad positiua tantum limitetur, nõ est admittendum, nisi in absolutis; nam relatio, puta paternitas, præcisè sumpta scilicet ratione ad, ita conuenit Deo, puta Patri, vt referat ipsum ad terminum, scilicet ad Filium; respectus autem ad terminum vt sic, nullam dicit perfectionem vt probauimus. Ad primam probationem prædicti antecedentis dico primò per eam confirmari nostram secundam conclusionem. Secundò dico relationem, puta paternitatem prout à nobis præcisè concipitur ratione ad, id est ratione respectus realis ad Filium, non concipi vt sic sub ratione Dei aut existentis in Deo. Ad secundam probationem negatur antecedens; Ad probationem admitto datam responsionem; Ad eius improbationem negatur assumptum, si sermo sit de re id est de realitate formaliter sumpta, vt modo loquimur; nam licet realitas relationis prout dicit realem respectum ad terminum vt sic non sit perfectio; est tamen necessariò requisita ad summam & infinitam perfectionem diuinæ rei, vt ait Cai. *infra q. seq. a. 3.*

Contra eandem conclusionem Mol. quinque producit argumenta pro 3. sua conclusione, quibus ipse respondet & eorum solutio satis patet ex dictis.

vide concl. obij. Val. primo.

Contra eandem concl. argum. Val. Primò. De fide est relationem diuinam vt est ad aliud, & nõ solum vt est essentia diuina, esse in Deo quandâ realitatem & quidem infinitam; At omnis diuina ac infinita realitas est secundum se obiectiue perfectio simpliciter; Ergò relatio diuina etiam vt est ad aliquid in re, & obiectiue est perfectio & perfectio simpliciter infinita. Prima propositio quo ad priorem partem probatur; quia secundum fidem personæ diuinæ realiter distinguuntur per relationes, non vt sunt essentia, sed vt sunt relationes virtualiter ab essentia distinctæ; Ergò de fide est, quod vt relationes sunt, sunt realitates quædam. Quo ad posteriorem autem partem probatur; quia nulla realitas est in Deo, quæ non sit infinita; Ergò de fide est etiam relationes esse realitates infinitas. *Resp.* falsam esse primam propositionem quo ad secundam partem. Ad probationem dico realitatem omnem in Deo esse infinitam realiter & identicè, non autem formaliter id est sub ea ratione qua concipitur vt ab alijs realitatibus formaliter distincta; sicut in proposito relatio diuina, puta paternitas, vt refertur ad filiationem, neque finita est neque infinita, vt ante diximus, licet realiter & identicè, id est prout eadem est diuinitati, sit infinita simpliciter.

Obij. 1.

Secundò. Si relatio paternitatis vt paternitas est, & filatio vt filatio est, perfectionem non dicerent, sequeretur Patrem vt Patrem, & Filiū vt Filiū, non esse perfectum nec bonum nec diligibilem; Ergò Pater & Filius vt tales sunt, non se diligenter, & consequenter diligendo non producerent Spiritum sanctum, & alia huiusmodi multa absurdissima sequerentur in diuinis. *Resp.* in consequente particulam, vt, posse reduplicare paternitatem & filiationem dupliciter; vno modo secundum integras & completas earum rationes; & in hoc sensu negatur consequentia; nam hic sermo est de relationibus diuinis, non secundum integras earum rationes, sed prout dicunt præcisè respectum realem ad terminum. Alio itaque modo potest per eandem illam dictionem, vt, reduplicari paterni-

Solut.

tas & filatio quo ad respectum ad terminum præcisè; & in hoc sensu, admittit prima consequentia & ipso consequente formaliter sumpto, secunda consequentia distinguenda est; Nam si consequens eius intelligatur de Patre & Filio, vt tales sunt formaliter quo ad respectum præcisè sumptum, & de habente rationem diligibilitatis ex ipso respectu relationis formaliter, vera est consequentia, sicut & ipsum consequens; nam respectus ad terminum non est ratio diligibilitatis in paternitate aut filiatione; quamuis talis respectus sit diligibilis, & diligatur propter identitatem realem, quam habet in deitate & bonitate; si verò consequens intelligatur de Patre & Filio vt tales sunt secundum eorum integras & totales rationes, falsa est consequentia; nam conclusio nostra loquitur de relatione diuina quo ad respectum realem ad terminum præcisè.

Tertio. perfectio simpliciter ea est, quæ in v. *Obij. 3.* noquoque melior est ipsa, quam non ipsa, id est quocunque secum incompatibili in eodem subiecto; Sed quamuis absolutum vt est tale, melius sit quam respectiuum, tamen respectiuum non est incompatible cum absoluto, sed possunt reperiri hæc duæ rationes in eodem; Ergò respectiuum est perfectio simpliciter. *Resp.* cum Cai. de ente & essentia comparatum supponere positium; oportet ergò id, quod melius est, esse formaliter bonum; cū itaque relatio ratione respectus præcisè non sit formaliter bona, vt sæpe diximus, sequitur etiam ipsam non esse meliorem; cuius oppositum supponit Valentia. Secundò negatur consequentia, quæ nullam habet apparentiam.

Contra eandem concl. argum. Valsq. disput. 122. vide concl. c. 2. Primò. Sicut Deus ob suam infinitam perfectionem, postulat esse sapientem, sic etiam ob eandem fecundus est, vt sit Pater Filius & Spiritus S. Ergò paternitas est aliqua Dei perfectio. *Resp.* consequens intelligi posse dupliciter. Vno modo de paternitate secundum eius conceptum completum; & sic verum est consequens, & bene deducitur; Alio modo potest intelligi de paternitate prout dicit præcisè respectum ad terminum; & sic falsum est tam consequens quam illatio; nam etsi ad Dei perfectionem pertineant Pater Filius & Spiritus S. & singulorum respectus & incommunicabiles; non tamen sequitur, respectus vt sic & incommunicabiles esse perfectiones; nam, vt ante diximus cum Caietano, ad summam Dei perfectionem pertinent, non ea tantum quæ secundum se & formaliter dicunt perfectionem, sed etiam illa quæ abstracta sunt à perfectione & imperfectione.

Secundò. Si relatio in Deo non esset perfectio, *Obij. 2.* esset imperfectio; At in Deo non potest esse aliqua imperfectio; Ergo. &c. Conseq. probatur; quia perfectio & imperfectio contradictoriè opponuntur; nam perfectum est id cui nihil deest, imperfectum autem cui aliquid deest. Si ergò paternitas non esset perfectio, sequeretur illi aliquid deesse, defectu cuius non esset perfecta, & ita imperfecta; vel sequeretur ipsam esse Dei imperfectionem; quia per illam aliquid Deo deesset. *Resp.* nullam esse conseq. de imperfectione propriè sumpta, quæ est imperfectio priuatiue. Ad probationem negatur assumptum de imperfectione priuatiue, quæ dicit defectum perfectionis debitæ inesse. Ad probationem dicitur non rectè ibi diffiniri imperfectum priuatiuum; addendum est enim de perfectione debita inesse; Nā latè su-

tè su-

tē sumendo imperfectionis vocabulum prout A
dicit solam negationem perfectionis, iam saepe
diximus relationi non conuenire perfectionem,
& consequenter illam esse non perfectam, quod
est esse imperfectam negatiue. Sed quia nomen
imperfectionis communiter sumitur pro im-
perfectione priuatiua, idcirco simpliciter ne-
gandum est relationes esse imperfectas.

Alia eiusdem authoris argumenta probant re-
lationes diuinas secundum earum integrum con-
ceptum dicere perfectionem.

Contra eandem conclus. multa profert argum.
Suar. lib. 3. c. 9. ex quibus nonnulla iam sunt pro-
posita & soluta, quibula verò probant ratio-
nem in suo conceptu completo claudere perfe-
ctionem, non autem vt respectiua est formaliter
& præcisè. Nam subsistentia conuenit diuinæ
relationi prout diuina est, & terminatio huma-
næ naturæ conuenit filiationi prout subsistens
est; Et ideo ex his non licet inferre perfectionem
in relatione, prout dicit ad præcisè etiam reale,
sed tantum quoad completam eius rationem, in
qua clauditur essentia quasi modificata. De qua
re videndus est Cai. 3. p. q. 3. a. 1.

Obi. Suar. 1. Contra eandem concl. militant duo argumenta
eiusdem authoris, scilicet Suar. diss. metaphys. 47.
sect. 5. n. 6. Primum est. De ratione accidentis pro-
ut in re ipsa existit, non solum est quod inest se-
cundum rationem aliquam genericam vel com-
munem, sed etiam secundum propriam, & prout est
talis forma in rerum natura; immò impossibile
est, quod forma informet vel afficiat secundum
rationem communem, & non secundum ali-
quam propriam; cum hæ rationes à parte rei non
distinguantur; Ergo relatio secundum propriam
rationem inest, & consequenter dicit perfectio-
nem. Resp. posse dupliciter intelligi formam ali-
quam informare secundum propriam rationem;
vno modo identicè, alio modo formaliter. For-
mæ absolutæ utroque modo informant secundum
propriam rationem, vt affirmat S. D. in hoc
a. sed formæ relatiuæ seu relationes informant
quidem secundum propriam rationem identicè,
sed non formaliter; quia ratio ad vt sic, non dicit
in esse.

Obi. 2. Secundum argumentum. Quia alioquin rela-
tio non tribueret subiecto proprium actum rela-
tiuum formalem; ergo secundum propriam ra-
tionem inest, & consequenter est perfectio. Pro-
batur prima consequentia; quia accidens non dat
effectum formalem, nisi inhærendo & afficien-
do; Ergo si relatio non inest secundum pro-
priam rationem, non confert subiecto proprium
& specificum effectum formalem. Resp. nullā esse pri-
mā consequentiā; quoniam ad hoc vt accidens, vel
forma aliqua relatiua de qua loquimur, conferat
effectum formalem specificum subiecto, sufficit
vt inhæreat identicè, quatenus scilicet idem est
realiter cum accidente, cuius est inesse. Vel di-
cas, satis esse, vt inhæreat ratione suæ existentie,
quæ formaliter est absoluta, non autem secun-
dum propriam rationem formaliter sum-
ptam. Ex his quædam alia diluan-
tur eiusdem authoris ar-
gumenta.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab in-
uicem distinguantur.

A D tertium sic proceditur. Videtur, quod rela-
tiones, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem non
distinguantur; Quæcunque enim vni, & eidem sunt
eadem, sibi inuicem sunt eadem. Sed omnis relatio in 2 corp. Et
Deo existens est idem secundum rem cum diuina es-
sentia. Ergo relationes secundum rem ab inuicem non
distinguantur.

2. Præterea. Sicut paternitas, & filiatio secun-
dum nominis rationem distinguuntur ab essentia diui-
na, ita & bonitas & potentia. Sed propter huiusmodi
rationis distinctionem non est aliqua realis distinctio
bonitatis, & potentie diuine. Ergo neque paternitatis,
& filiationis.

3. Præterea. In diuinis non est distinctio realis, nisi
secundum originem: sed vna relatio non videtur oriri
ex alia. Ergo relationes non distinguuntur realiter
ab inuicem.

Sed contra est, quod dicit Boet. in lib. de Trinit.
* quod substantia in diuinis continet vnitatem, rela-
tio multiplicat Trinitatem: si ergo relationes non di-
stinguuntur ab inuicem realiter, non erit in diuinis Tri-
nitatis realis, sed rationis tantum, quod est Sabelliani
erroris. e

Respondeo. Dicendum, quod ex eo, quod aliquid a-
licui attribuitur, oportet, quod attribuantur ei om-
nia, quæ sunt de ratione illius. Sicut cuiusque attri-
buitur homo, oportet, quod attribuantur ei esse ratio-
nale. De ratione autem relationis est respectus vi-
nius ad alterum, secundum quem aliquid alteri op-
ponitur relatiue. Cum igitur in Deo realiter sit rela-
tio, (vt dictum est *) oportet, quod realiter sit ibi
oppositio. Relatiua d. autem oppositio in sui ratio-
ne includit distinctionem. Vnde oportet, quod in Deo
sit realis distinctio, non quidem secundum rem ab-
solutam, quæ est essentia, in qua est summa vni-
tas, & simplicitas, sed secundum rem relati-
uam.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philo-
sophum in 3. Physic. * argumentum illud tenet, quod
quæcunque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem
sunt eadem, in his quæ sunt idem re, & ratione, si-
cut tunica, & indumentum: non autem in his, quæ
differunt ratione. Vnde d. ibidem dicit, * quod licet
actio sit idem motui, similiter, & passio: non tamen
sequitur, quod actio, & passio sint idem: quia in actio-
ne importatur respectus, vt à quo est motus in mobili;
e in passione verò, vt qui est ab alio. Et similiter licet
paternitas sit idem secundum rem cum essentia diuina,
& similiter filiatio: tamen hæc duo in suis proprijs ra-
tionibus important oppositos respectus. Vnde distin-
guuntur ab inuicem.

Ad secundum dicendum, quod potentia, & boni-
tas non important in suis rationibus aliquam oppositio-
nem. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod quamuis relationes
proprie loquendo non oriuntur, vel procedant ab inuicem,
tamen accipiuntur per oppositum secundum pro-
cessionem alicuius ab alio.

Sensus questii.

Q VÆRIT hic S. D. modum quædam essen-
di diuinarum relationum, an scilicet sint in
Deo vt distinctæ vel vt eadem; pertinet tamen
hic modus ad quidditatem ipsarum relationum,
sicut oppositio. In quo quæsitio aduerte duo.
Primum est nomine relationum existentium in
Deo non intelligi nisi relationes ad intra, quæ
solæ in Deo verè & absolute sunt, prout
esse

esse distinguatur contra intelligi. Hæc verò sunt quatuor, nimirum paternitas, filiation, spiratio & processio, vt in sequenti patebit articulo. Secundum est dictionem illam *relationes* non sumi vniuersaliter; nam de distinctione spirationis actiue à paternitate & filiatione, num sit realis & actualis an virtualis tantum & fundamentalis disputat infra S. D. q. 32. a. 2. Non quærit igitur hic vniuersaliter, an omnes & singulæ relationes, quæ sunt in Deo reales, distinguantur realiter inter se, neque de solis relationibus oppositis interpretanda est illa dictio *relationes*, vt arbitratur Valentia; sensum enim hunc excludit manifestè particula subsequens scilicet *quæ sunt in Deo*, quæ ad oppositas tantum relationes non arctatur; cum etiam non oppositæ sint in Deo. Sumenda est igitur vox illa *relationes* indefinitè, vt hic aduertit Caiet. quem sequuntur Sylu. Mol. Vasq. quòd enim intendit, & quærit S. D. hic, est: an ex relationibus realibus, quæ sunt in Deo, nonnullæ sint realiter inter se distinctæ.

Valentia
incompre-
hensio
rejectione

Caiet.
Syluester.
Molina.
Vasquez.

Forma Textus.

CONCL. est. In Deo est realis distinctio relationum. Probatur. In Deo est realiter relatio opposita relationi, sed relatiue opposita in sui ratione includunt distinctionem realem; Ergo in Deo sunt relationes realiter distinctæ. Minor relinquitur vt nota. Maior probatur quo ad particulam illam *opposita*, sic: Ex eo, quod aliquid attribuitur alicui, oportet, vt attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius; At de ratione relationis est oppositio: ergo &c. Maior huius argumenti probatur exemplo; nã cui attribuitur homo, oportet vt tribuatur ei esse animal rationale. Minor autem probatur, quia de ratione relationis est respectus vnius ad alterũ, secundum quem aliquid alteri opponitur relatiue.

Expositio Textus.

INTELLIGENDA est concl. indefinitè, sicut & quæsitum. Vbi tamen aduerte, cuilibet relationi in Deo existenti conuenire oppositionem respectu proprii sui correlatiui, vt probatur in textu: cum tamen qualibet relatio non opponatur cuilibet; nam spiratio processionem quidem opponitur, sed non paternitati, aut filiationi, cum quibus realem habet identitatem; Ex quo sequitur sumi posse conclusionem vt vniuersalè ad relationes omnes quæ sunt in Deo; nã quælibet diuina relatio distinguitur ab aliqua realiter, etsi quibusdam videlicet non oppositis, comparata non distinguatur realiter; propter quòd dicimus conclusionem, sicut & quæsitum intelligendam esse indefinitè. Et ita loquendum est; nam vniuersaliter sumpta significat quamlibet relationem à qualibet distingui realiter. Et licet ex oppositione probetur conclusio; non tamen consequens sit eam de relationibus tantum oppositis vt sic esse intelligendam, vt arbitratur Bannes. Nam ex particulari propositione rectè concluditur indefinita; valet enim: Quidam homo est albus; ergo homo est albus; sic in proposito currit hæc consequentia: Relationes oppositæ distinguuntur realiter; ergo relationes distinguuntur realiter. Posset tamen de solis oppositis satis probabiliter interpretari, vt quæsitum indefinitè proposito satisfiat cõclusionem determinatam.

Secundo circa minorem principis argumen-

Ad dubitatur, quoniam oppositio contradictoria, quæ omnium maxima est & ceterarum radix, nõ causat sed sequitur distinctionem, vt ait S. Th. de pot. q. 10. a. 5. in c. Ergo multò magis oppositio relatiua, quæ minima est & omnium vltima. Respondetur nullam esse consequentiam; quoniam vt ibidem ait S. D. omne existens, ab altero distinguitur per aliquid sibi inherens substantia-liter, vel accidentaliter; quòd autem hoc non sit hoc, sequitur ex hoc, quòd distincta sunt. Similiter etiam patet, quòd veritas cuiuslibet negatiue in existentibus supra veritatem affirmatiue fundatur, sicut veritas huius negatiue: Aethiops non est albus, fundatur supra veritatem huius affirmatiue: Aethiops est niger. Et ideo oportet omnem differentiam, quæ est per oppositionem alicuius affirmationis & negationis, reduci in differentiam alicuius affirmatiue oppositionis. Hæc D. Th. Vbi ad argumentum dico, contradictionem in ratione entis omnium oppositionum esse postremam; quamuis in ratione oppositionis sit omnium maxima, vt notat & explicat Cai. in postpredicamentis in cap. de oppositis, §. circa ordinem.

Tertio Observandus est sensus illius propositionis: Ex eo quod alicui attribuitur aliquid, oportet quòd attribuantur ei omnia, quæ sunt de ratione illius. Intelligenda est enim de eo, quòd attribuitur alicui formaliter, & de ijs quæ sunt de ratione talis attributi formaliter sumpti, vt patet in exemplo de homine, & ratione in textu posita; sicut etiam quia Deo attribuitur scientia formaliter, necesse est attribui Deo, quæcunque sunt de formali conceptu scientiæ, puta esse notitiam certam & euentem; non oportet autè Deo attribui rationem qualitatē, vel discursus & alia huiusmodi, quæ materialiter se habent ad rationem formalem scientiæ, vt scientia est.

Quando Considerandum est efficacitatem discursus D. Thomæ in hoc consistere, quòd relationes, quas in Deo realiter esse dicimus, sunt relationes ad intra & mutuas, quæ hoc ipso, quòd tales sunt, vtrumque necessariò ponunt in Deo extremum. Itaque cum affirmamus relationes in Deo esse realiter, particula illa *in Deo* non solum denotat habitudines ipsarum relationum ad subiectum, sed etiam alterius ad alteram significat habitudinem in ratione termini tãquam existentis in Deo; adeò vt non solum relationes, sed earum singularum termini correlatiui sint in ipso Deo; alioquin adducta ratio in littera nihil concluderet; posset enim negari consequentia; nam quemadmodum hæc non est bona deductio: in Sorte albo est respectus realis similitudinis relatiue oppositus; Ergo in Sorte est relatiua oppositio; sequitur enim tantum in Sorte existere alterum extremum oppositionis relatiue; ita nulla est hæc consequentia absolute loquendo: in Deo est respectus relatiue oppositus alteri; Ergo in Deo est oppositio relatiua, sed tantum sequitur; Ergo in Deo est vnum extremum oppositionis relatiue. Exponendo autem verba D. Thom. de relationibus ad intra, & de esse in Deo prædicto modo, cessat obiectio, vt bene aduertit Caiet. quem alij sequuntur interpretes.

Postremo notandum est concl. esse de fide, vt ostendunt Zumellus, Molina, Vasquez & Porre-
ta.

CON-

CONTROVERSIA VNICA.

Quo sensu, tam simpliciter quam in materia diuinorum, accipiendum sit illud principium: Quaecunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem.

Prima glos. fa D. Th. & quad. plex eius sensum, & extraneorum censuram.

SEPTEM afferri solent expositiones siue glos. fae praedicti principij. PRIMA est illa, quam ex Arist. 3. Phys. text. 21. & 22. refert S. D. hic in respons. 1. argum. dicens. Quaecunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem esse eadem in ijs, quae sunt eadem re & ratione, sicut tunica & indumentum; non autem in ijs quae differunt ratione. Na, ut ait Philo sophus, licet actio sit idem motus, & similiter passio, non tamen sequitur quod actio & passio sint idem; quia in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili; in passione vero ut qui est ab alio. Et eade ratione, quamuis paternitas sit idem re cum essentia diuina & similiter filiatio, important tamen haec duo in suis proprijs rationibus oppositos respectus, quos non importat essentia; & ideo realiter distinguuntur ab inuicem. Haec ferè ad verbum D. Thomas. Qua loquendi forma non affirmat S. D. dictum principium in solis synonymis verum esse, sic enim syllogisticam artem prorsus euerteret, quae ex connexionione siue vnitate medij cum extremitatibus infert connexionem extremitatum inter se, etiam si extremitates à medio ratione aut etiam re differant; sed, ut aduertit Torres, significare voluit S. Thom. maximam illam non esse veram vniuersaliter, nisi in terminis synonymis; quamuis in pluribus alijs sit vera. Vel, ut ait Bannes, principium illud inflatam patitur in ijs, quae non sunt eadem re & ratione: non ob id tantum quod ratione differant; sed ob eam causam praecipue, quod distinctio rationis inter extrema diuerso modo significata, defectum aliquem parit logicalem in consequentia. Quam interpretationem sequitur Ripa.

Aliam mihi valde probabilem interpretationem adiungit Iauellus, quem sequitur Torres, dicens per eadem re & ratione D. Thom. intelligere illa, quae sunt idem re & non habent diuersas & oppositas rationes formales, quarum vna excludat aliam; diuersa verò ratione ea esse, quae rationes habent formales oppositas, quarum altera excludit alteram, ut actio & passio, paternitas & filiatio sunt hoc modo ratione diuersae; quia rationes habent oppositas se inuicem excludentes: potentia verò & actio non sunt hoc modo ratione distincta, sed eadem; Et similiter animal & rationale & risibile. Quam expositionem sequuntur Zum. & Ripa. sed praedictam glos. sam, cum dictis expositionibus, reijciunt communiter extranei S. D. interpretes, videlicet Mol. Val. Valq. cap. 1. Suar. lib. 4. c. 3. & Albert. principio 7.

Tertiam expositionem adhibet Ferrar. in 2. contra gentiles c. 9. dicens aliqua distinguere ratione dupliciter; Vno modo ex solo opere intellectus, de vna & eadem re diuersas conceptiones formatis: quemadmodum distinguitur sapientia diuina ab essentia; Nam si conciperetur essentia prout in se est, in eius conceptu clauderetur ratio sapientiae, & ceterorum attributorum, ut saepe diximus. Alio modo distinguuntur aliqua ratione ex parte ipsarum rerum, quae ex sui natura sibi vèdicant, ut si concipiuntur, prout in se ipsis sunt, diuersis conceptionibus concipiuntur, quales res

Naz. in 1. part. D. Tho. tom. 2.

A sunt actio & motus; nam actio ex sui natura posulat, ut concipiatur cum respectu ad agens; motus autem sicut in sui ratione non claudit talem respectum, ita nec eius apprehensionem in sui conceptione requirit. Cum itaque docet S. Th. principium illud non tenere in ijs, quae à tertio ratione distinguuntur, loquitur (inquit Ferrar.) de distinctione rationis proueniente ex parte ipsarum rerum; quia si proueniret tantum ex parte intellectus, tunc vnio realis in tertio faceret identitatem realem extremorum, non obstante distinctione rationis extremorum in tertio ut patet de principio & fine, ut dicuntur de puncto in linea. Sic autem (inquit) est in re proposita. Nam etsi potentia & actio non distinguuntur ratione, nisi primo modo ab essentia diuina; paternitas tamen & filiatio distinguuntur secundo modo ratione; quia paternitas ut relatio est, non esset de ratione deitatis, etiam si secundum quod in se est conciperetur; quia in ratione deitatis includitur tantum ratio cuiuslibet perfectionis: relatio autem, ut superius ostendimus, quatenus relatio est, non dicit aliquam perfectionem, sed tantum ad aliquid. Et ideo quod distinguatur ratione ab essentia, non est tantum ex parte intellectus, sed etiam ex natura ipsius rei, propter quod non oportet paternitatem & filiationem esse inter se realiter eadem, quamuis realiter sint idem essentia: Quam sententiam quia distinctionem ex natura rei videtur statuere cum Scoto inter essentiam & relationes, reijciunt omnes S. D. interpretes.

Denique Sylu. super articulo praecedente hunc existimat esse glos. fae S. Th. sensum. Quaecunque sunt eadem vni tertio re & ratione, ita scilicet ut ratio vnus sit ratio alterius, vel includatur in eius ratione, ut homo & animal Socrati, illa sunt idem inter se; quem sensum elicere sibi videtur ex ipsomet S. D. in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ubi ait: Cum dicitur, quod alia est ratio paternitatis, & essentia in diuino: non accipitur ratio secundum quod est in ratione tantum, sed secundum quod est nomen intentionis, & significat distinctionem rei, quamuis enim in diuino non possit esse distinctio; si tamen intelligatur ibi aliquid distincti, alia erit distinctio paternitatis, & alia essentia. Hec D. Th. Hanc expositionem tangit Ban. & duobus argumentis impugnat.

Et quoniam praedicta glos. fae D. Th. cum relationis omnibus, & singulis explicationibus verissima est; ideo diligenter inuestigandae sunt radices ac fundamenta, quibus veritas eius innititur, & ab aduersariorum calumnijs tuta consistit.

Considerandum est igitur primum ex D. Tho. in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2. nihil in rebus creatis inueniri posse, quod in hoc assimiletur diuinis personis & essentiae, ut quemadmodum diuina personae realem habent identitatem cum essentia, & tamen ex reali oppositione realiter inter se distinguuntur; ita sint aliqua res creatae quae realiter identificentur in tertio, & realiter inter se distinguuntur; quia in nulla re creata inuenitur aliquid simile diuinae simplicitati, quae omnia in ea existentia sibi identificat, nec eorum proprias rationes destruit; & consequenter cum de ratione relationis realis sit oppositio & distinctio realis, diuinae relationes sic erunt eadem cum essentia, ut inter se realiter distinguuntur. Similia enim omnia quae possunt adduci de punctis vel de differentijs existentibus in genere, plus habent de dissimilitudine quam de similitudine; & ideo magis abducunt à veritate, quam verum intellectum inducant inquit S. Th. In hoc autem dissimiles esse videntur res omnes creatae à diuina Trinitatis &

Defensio glos. fae praedictae, & expositionum eius.

H

Vnita-

Vnitatis mysterio: quod extrema quæ in rebus creatis idem sunt cum tertio realiter, non sunt res quædam secundum se, siue vt alij dicunt realitates; sed vnus rei siue realitatis formalitates aut modi. Nam gradus Metaphysici, vt ratio substantiæ, corporis viuientis, animalis & rationalis in homine, non sunt res multe secundum se, siue realitates, sed vnus completæ rei distinctæ rationes formales; sicut etiam in motu actio & passio non sunt duæ realitates, sed duæ tantum rationes formales eidem motui diuerso modo sumpto congruentes. Et similiter in qualibet re secundum quosdam existentia & subsistentia non sunt duæ realitates à re distinctæ, sed duo tantum modi à re existente, ac proinde etiam inter se formaliter distincti tantum siue modaliter; nam realis identificatio duorum extremorum cum tertio, sicut non destruit eorum rationes formales, ita nec tollit formalem eorum oppositionem, & consequenter nec eorum formalem distinctionem. Quod autem prædictæ realitates non sint, ex eo patet quod alia indigent realitate, cui non solum insunt, verum etiam identificantur; non ob illius rei simplicitatem vel summam actualitatem aut infinitatem, sed ex imperfectione propria; quia nimirum ad essentiale vnus perfectæ rei complementum sic ab ipsa natura destinatur, vt eadem sint cum ea realitas & vnus integrent quidditatem, nec peculiarem habeant existentiam aut subsistentiam: relationes autem diuinæ realitates quædam sunt oppositionem realem habentes adinuicem, & reales distinctas realiter subsistentias. Ex dictis sequitur principium illud: Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem, sic accipiendum esse, vt quæcunque vni & eidem sunt eadē re & ratione formali, sint etiam eadem re & ratione formali inter se; quæ verò eadem quidem re sunt vni & eidem, sed ab eo formaliter differunt, non sint eadem inter se, sed distinguantur aut realiter si realis est extremorum oppositio, vt in diuinis relationibus, aut saltem formaliter si tantum formaliter opponantur, vt actio & passio; Vnde Arist. in 3. Phys. & S. Thom. *bic in resp. ad 1.* ex hoc, quod actio & passio ratione formali distinguuntur à motu, cui realiter identificantur, non infert realem eorum distinctionem abinuicem, sed tantum eorum distinctionem absolute, quæcunque sit illa; cuius distinctionis modus ex natura & oppositione extremorum est colligendus; in rebus enim creatis (vt ante diximus) realis esse non potest; & ideo S. D. admonuit exempla ex eis desumpta magis abducere, quam docere.

Secundū sciendum est dictum principium non esse regulatiuum artis syllogisticæ, vt bene aduertit Mol. *super hoc a. disp. 3.* non enim postulat ars syllogistica formalem aut realem identitatem extremorum cum medio, vt patet cū dico: Omnis homo est quantus aut risibilis; Quæ autē sint regulæ syllogismi, & præsertim expositoriij, doceat Arist. in primo priorum, & Dialectici ac Recentiores *super hoc art.*

Tertio recolenda sunt ea, quæ supra notauimus in prima cont. præced. art. concl. 6. vbi declarauimus mentem Ferrariensis circa distinctionem relationum diuinarum ab essentia, quam esse maiorem ostendimus ea, quæ est inter attributa diuina & essentiam; eo quod fundatur in oppositione & distinctione reali relatiua, quam habet relationes adinuicem.

EXPOSITIVR SECUNDO prædictum principium à D. Th. in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2. & Capreolo in 1. dist. 2. q. 3. a. 1. & Cai. Sylu. & Iauel.

Afferunt ex D. Thoma, Capreolo,

A *super hoc a.* vt hunc reddat sensum: Quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, secundum quod identificantur in medio, seu quo ad rationem identificationis in medio: quam glossam esse Arist. menti conformem affirmat Cai. Itaque eadem medio necesse est inter se tantum identificari secundum id, quod est ratio identificationis eorum in medio, non autem secundum id in quo non identificantur medio, siue quod non est ratio identificationis eorum in medio; Quæ consideratio multa diluit argumentorum sophismata in ijs contingentia, quæ vna aliqua ratione vnita sunt, alia verò distincta. Eandem glossam adducit Scotus in 1. dist. 2. q. 7.

B *ad cuius* interpretationis euidenciam aduerte, quod licet in syllogismo non colligamus expressè maius extremum esse idem cum minori, illa eadem entitate præcisè, qua sunt idem ambo cū medio, sed absolute tantum inferamus maius extremum conuenire minori, propter connexionem vtriusque cum medio significatam in præmissis: nihilominus intelligenda semper est conclusio secundum eam veritatem & sensum, secundum quem ex præmissis inferitur, si præmissæ sint veræ & propriæ causæ conclusionis; alioquin esset aliquid in effectu quod non depederet à causa; constat autem eius vnionis qua inter se copulantur extrema, oportere aliquam esse rationem & propriam causam; igitur non erit nec inferetur alia vnitas extremorum inter se, quam sit ea quam habent in medio. Quamuis igitur inferatur eorum vnitas absolute, intelligenda tamen est formaliter, vt inferitur ex vi præmissarum.

C Quamobrè ex ipsa vi discursus syllogistici colligitur quasi à priori vnitatis illius intelligentia, quam absolute significat illata conclusio; semper enim accipienda est cum limitatione prædicta, prout scilicet inferitur ex præmissis. Nec tamen eadem est conclusio cum præmissis, vt calumniantur Mol. & Suar. quoniam aliud est A & B. esse idem cum C. quod assumitur in præmissis; & aliud est A & B. esse idem inter se secundum id in quo vniuntur scilicet in C. quod inferitur in conclusione; Neque fit sensus: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem illi tertio, vt confingit Valentia; Nam licet illa ratio sit quoddam tertium, non tamen esse idem secundum illam rationem inter se, est formaliter esse idem illi tertio, sed esse idem inter se secundum illud tertium; nam illud tertium habet rationem quo, extrema verò habent rationem quod; sunt enim ea quæ sunt eadem, dum vnum est & dicitur idem alteri. Secundam hanc glossam impugnant communiter recentiores scilicet Ban. Mol. Val. Vafq. Suar. & Alber. in suis correlarijs, quorum argumenta suo loco proponemus & soluemus.

D TERTIAM eiusdem principij glossam affert Capr. loco supra nominato dicēs principium illud verum esse in ijs, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè. Vel (& in idem redit) tenet in ijs, quæ sunt eadem vni tertio, & cuiusque quod est idem cum illo tertio. In quo sensu veritatem habet tam in creaturis, quam in diuinis; nam diuinæ perfectiones idem sunt adæquatè cum essentia, & ideo sibi inuicem sunt eadem à parte rei; diuinæ verò relationes quamuis sint vnum in essentia, nulla tamen earum adæquat essentiam; non enim paternitas est omne id, quod est essentia; cū essentia sit ea res, quæ est filiatio, paternitas verò sit realiter à filiatione distincta. Hunc dicendū modū impugnat Vafq. Suar. & Albertinus. Vbi aduerte identitatem illam extremorum inter se, de qua loquitur prædictū principium, non esse

Caietano & alij secunda glossa, & defenditur à recentioribus calumnijs.

Soluuntur obiectiones Mol. Suar. & Vafq.

Referuntur & explicatur alie quinq; glossæ eiusdem principij.

esse realem aut formalem præcisè, sed absolute intelligendam esse, ita ut quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, sint eadè absolute inter se, ad eò ut simpliciter dici possit illa vnum & idem esse. Et consonat hic sensus literæ & menti ipsius Aristot. in 3. *Physic.* Nam quia actio non ita identificatur motui, ut sit illud omne, quod est motus, ideo actio non est passio, quamvis & passio sit eadem motui.

QUARTA glossa est Capr. loco superius allegato, & Dur. in 1. *dist.* 33. q. 1. vbi aiunt principium illud verum esse in ijs, quæ sunt eadem vni tertio singulari & incommunicabili, quam expositionem sequuntur Ban. Zum. & Mol. in quo sensu verum est principium illud vniuersaliter de quauis identitate tam reali quam formali, tam in rebus creatis quam increatis; & videtur hæc glossa in proximè præcedenti fundari, immò & eadem esse; nam duo incommunicabilia, quæ sunt eadè in aliquo tertio communicabili, ideo non sunt eadem inter se; quia neutrum illorum idem est adæquatè cum illo, quod est vtrique commune; nam Petrus & Paulus idem sunt realiter cum homine vtrique communi, non tamen inter se sunt idem, quia neuter eorum idem est adæquatè cū homine vtrique communi. Et quia relationes diuinæ, ut paternitas & filiatio sunt idem cum essentia diuina, singulari quidem, sed illis ac pluribus relationibus ac personis communicabili; ideo non habent identitatem inter se. Videntur est Molina super hoc art. *dist.* 2.

QUINTA glossa est Val. dicentis principium illud intelligendum esse, quando tertium ex sui ratione habet tantummodo, ut sit re vnum; Si autem ex sui ratione non solum habeat, ut sit re vnum sed etiam ut sit re plura: non potest esse verum illud principium de tali tertio; Nam inferre ex identitate extremorum in tali tertio quod illa inter se extrema non sint re distincta, esset perimere naturam talis tertij. Et quoniam diuina essentia talis res est, quæ in sui ratione includit etiam relationes distinctas realiter; nihil (inquit) officit argumentum ex illa maxima peritum. Sed hæc glossa non differt à duabus ultimis; Nam quæ tali tertio scilicet ex propria ratione habenti tantum ut sit re vnum, sunt eadem, sunt etiam eadem adæquatè quo ad realitatem: & illud cui sunt eadem, est singulare & incommunicabile; nam si re vnum est & non plura, hoc ipso singulare est & incommunicabile.

SEXTA glossa est eiusdem expositoris dicentis distinguendum esse illud principium; nam si intelligatur vniuersaliter de omni omnino tertio etiam infinito, quale diuina essentia est, falsum est; si autem intelligatur de omni tertio, quod duntaxat habet, ut sit re vnum; cuiusmodi sunt res omnes creatæ, verum est. Sed tunc (inquit) non potest ex illo principio colligi proprietates personales esse re idè inter se, eo quod sint idem re cum tertio, quod est essentia diuina; quoniam essentia diuina est tertium alterius rationis. Eandem sententiā sequitur Vasq. & Suar. Hunc dicendi modum impugnatur Albertinus; quia non affert propriam causam distinctionis eorum extremorum, quæ identificantur in tertio & distinguuntur inter se; sed causam tantum significat identitatis eorum in tertio: Nam ex infinitate diuinæ essentiae, ut ex propria causa, prouenit, quod sit eadem cū duabus relationib' oppositis: non tamen eadè infinitas in causa est, ut relationes eidè identificatæ realiter distinguantur inter se; sed propria distinctionis causa est; quia relationes diuinæ, puta paternitas & filiatio sunt reali-

tates ex natura sua oppositæ adinuicè; identificatio autè non tollit oppositionem, ut docet Arist. 3. *Physic.* de actione & passione, quæ secundum rationem sunt oppositæ. Vnde si per impossibile (inquit) actio & passio essent duæ realitates oppositæ & identificarentur cū motu: sequeretur eas ex natura sua distingui. Verū existimo propriam causam vnitatis diuinarum relationum cum essentia, & distinctionis earum realis inter se ex eiusdem essentiae diuinæ infinitate prouenire. Nam sicut essentia diuinæ, ob eius infinitatem identificantur extrema, nō quæcūq; sed talia quæ ex propria ratione sunt realiter opposita & realiter abinuicem distincta: ita ex infinitate diuinæ essentiae prouenit, ut eadem extrema sint idem realiter cum essentia, & ut proprias rationes & officia retineant, quæ sunt referri, opponi & distingui; Immo ex hoc ipso, quod talia extrema & eorum proprias rationes sibi identificat, consequens fit ut sit etiam propria ratio distinctionis eorum; non enim prouenit distinctio, nisi ex ipsorum extremorum natura. Cum igitur cōueniat vtriusq; extremi natura in vna & eadem medijs naturā ob eius infinitatē, sequitur ut ex natura medijs infinita, ut infinita est, sit inter extrema non solum identitas in ipso medio, sed eorum etiam inter se distinctio. Necessè est igitur, ut sicut identitas taliū extremorum in medio, quæ scilicet sint oppositæ realitates, ex sola medijs infinitate procedit; cū in nulla re creata taliū identitas in vno tertio possit inueniri; sic ex eadem medijs infinitate proueniat, ut cū reali in ipso medio identitate, realiter inter se distinguantur extrema.

SEPTIMA glossa est principium illud verum esse in ijs, quæ sunt eadem vni tertio & non opponuntur adinuicem maiori oppositione, quam cum tertio; Quæ videtur eadem esse cum prima, in eo sensu, quem Turrianus expreflit. Hanc ponit & minime reprobatur Suar.

Ex dictis sequitur hæc vniuersalis CONCLUSIO. *Conclusio.*
delicet: Omnes prædictæ septem glossæ sunt probabiles, præsertim in materia SS. Trinitatis.

CONTRA primam glossam, & primam eius intelligentiam, argumentatur Mol. Si S. Thom. glossat dictam propositionem de solis synonymis, destruit omnes syllogismos expositorios, qui ex dicto principio vim accipiunt: Ergo ea non est legitima glossa. Probatur consequentia; Nam qui in terminis synonymis conficiuntur, probatiui non essent, sed in eis peteretur principium: qui verò in alijs terminis conficerentur, non haberent legitimam consequentiam, secundum hanc glossam D. Th. quæ requirit terminos synonymos. Idem argumentum tangit Vasq. Resp. primò, quod quamvis S. Tho. proferat exemplum de synonymis, non tamen loquitur de solis synonymis, sed vniuersaliter de ijs, quæ sunt eadem formaliter, id est quæ non habent rationes formales oppositas se se mutuo excludentes, licet alia ratione formaliter sint distincta; sicut animal, risibile & homo distincta sunt formaliter, sed non eo modo, ut scilicet habeant rationes formales oppositas. Secundò respondetur cum D. Th. in cap. de fallacia petitionis principij, quod in syllogismo duo sunt scilicet vis illatiua & probatio; quæ probatio debet esse per ea, quæ notiora sunt eo, quod probatur; fallacia petitionis principij peccat non cōtra vim illatiuā, sed contra probationem, ut ibidè ait S. D. In hac responsione S. Th. considerat solā vim illatiuā, & hoc solū videtur intendere, quod considerata vi illatiua syllogismi, illa propositio semper tenet in ijs, quæ sunt synonyma, nō autem semper

in alijs; quoniam, ut ait S. D. in c. de fallacia accidentis; quaedam sunt, quae omnino sunt eadem secundum substantiae rationem, ut vestis & indumentum; & in ijs est solum per se, & nullo modo per accidens; quia scilicet in illis non potest intrinsece fallacia accidentis, sicut in ijs, quae sunt eadem re, distinguuntur autem ratione. Hanc autem responsionem esse ad mentem D. Thomae ex eo patet, quod sola vis illatiua facit ad rem praesentem, de qua loquimur: nam secundum illam procedit argumentum. Et praeterea constat in potissima demonstratione committi petitionem principij, ut ibidem notat S. Th. & Cai. in primo Posteriorum.

Obi. 2. Secundo contra eandem glossam & expositionem argumentatur Valentia. Quamuis sola distinctio rationis extremorum a medio impediatur, quominus extrema sint inter se idem secundum suam rationem formalem, non tamen impedit, quominus ut sunt eadem cum tertio, sint eadem inter se, ut patet (inquit) in exemplo de actione & passione. Nam licet actio & passio non sint idem secundum rationem formalem, sunt tamen realiter idem inter se, ex hoc ipso quod affirmantur esse realiter idem cum tertio. scilicet motu. Igitur non est illa glossa sufficiens ad propositum nostrum; Nam filio & paternitas non tantum ratione, sed realiter etiam distinguuntur, sed tamen sunt idem re cum tertio. scilicet essentia diuina. Eodem argumento utitur Vasq. *Resp.* D. Th. per eam glossam hoc solum intendere, nimirum ex identitate extremorum cum tertio, non inferri necessarium eorum identitatem inter se, sed cum illa identitate quam habent in tertio, stare inter extrema distinctionem absolute, adeo ut simpliciter possint dici distincta, ut actio & passio quae in exemplum proferuntur in textu; & quandoque etiam cum eadem unitate extremorum in tertio distinctionem eorum abinvicem esse realem, ut in re proposita de relationibus diuinis oppositis, quae identitatem habent realem cum essentia, & distinctionem realem abinvicem relatiuam. Tunc vero solum cum unitate reali, quam habent duo extrema in vno tertio, possunt abinvicem absolute vel etiam realiter esse distincta, quando ratione in re fundamentum habente ab illo tertio, cui sunt realiter eadem, distinguuntur; non autem intendit aut significat S. D. distinctionem illam rationis esse sufficientem & vniuersalem causam, ut ea posita inter quodcumque medium & extrema eidem identificata, distinctione efficiat realem inter ea, sed iuxta subiectam materiam & rei naturam, distinctio consequitur extremorum: quandoque realis ut in diuinis propter realem relatiuam oppositionem; quandoque formalis actualis, siue ex natura rei, ut inter actionem & passionem: quandoque vero rationis tantum, ut inter animal & rationale, quae identificantur in homine, & inter gradus Metaphys. in vna quauis natura conuenientes, & ab ea ratione distinctos. Et per haec soluuntur etiam quaedam obiecta Vasq.

Obi. 3. Tertio contra eandem glossam argumentatur Vasq. S. Th. in 2. contra gent. c. 9. probat potentiam Dei & eius operationem esse idem secundum rem, eo quod sunt idem cum essentia; atque operatio Dei & potentia eius ratione differunt, & synonyma non sunt: Ergo &c. Eodem argumento utitur Suar. *Resp.* primo nullam esse consequentiam, quia S. Th. hic non affirmat distinctionem rationis extremorum a tertio in qualibet re causare distinctionem inter ipsa realem, aut impedire eorum inter se realem unitatem; sed hoc tan-

tum vult, nimirum identitatem duorum extremorum in tertio, cum distinctione rationis ab illo, non semper efficere realem unitatem inter illa; sicut etiam distinctio rationis non semper inducit realem distinctionem inter illa, sed tunc solum quando distinctio illa rationis a tertio fuerit in illorum oppositione reali fundata, quae secum fert semper distinctionem extremorum realem. Quam expositionem tangit Ferr. in dicto c. contra quam non militat argumenta Vasq. Suar. & Alb. sed contra alium sensum ab eo non intentum. Ex dictis etiam patet mens Arist. in 1. Topicorum cap. 1. loco 4. quem adducunt Vasq. & Alb.

Obi. 4. Quarto contra eandem glossam prout exponitur a Turr. de ijs, quae sunt eadem vni tertio re & ratione in eo sensu, ut scilicet non habeant oppositas rationes, argumentatur Mol. *Primo:* Quia haec glossa sic exposita plus iusto arceat principium illud; quod esto plus longe extendatur, cuius est in lumine naturali. *Resp.* per glossam illam non arceari principium illud, sed materiam tantum firmam veritatis illius indicari: non enim negat S. D. in quibusdam etiam ratione distinctis posse dictum principium locum habere veritatis.

Secundo: Quoniam ex dicta glossa ars syllogistica, quae dicto inharet principio, magna ex parte enervatur, & in rebus creatis nulla afferri potest instantia, qua ostendas quae sunt re eadem vni tertio singulari, non esse eadem inter se, & quae sunt eadem ratione formali vni tertio, non esse eadem formaliter inter se. *Resp.* S. Tho. per illam glossam sic expositam, noluisse nec debuisse per quamuis aliam interpretationem totam illam materiam complecti, ad quam verum possit extendi praedictum principium; sed mens eius praecipue fuit argumento contra realem adinuenientiam distinctionem relationum diuinarum satisfacere; Et ideo glossam adhibuit tali materiae maxime congruentem, in qua certum est extrema realiter idem esse cum medio, & ratione tantum in reali adinuenientia oppositione fundata ab eo distincta. Nec debuit A. D. ad res creatas descendendo, sensum praedicti principij latissimum indicare; hoc enim esset metas transcendere, & proprijs extraneis. Minime ad rem propositam pertinentia commiscere: glossam itaque supernaturalem materiae accommodata prudenter adhibuit. Quare frustra laborat Mol. demonstrando principium illud, quae sunt eadem vni tertio, &c. in vniuersum esse verum in rebus creatis.

Obi. 6. Contra postremam expositionem primae glossae argumentatur Bannes. *Primo* S. Tho. in ijs, quae sunt eadem re & ratione, posuit exemplum de tunica & indumento; Ergo per rationem intellexit conceptum mentis, Ergo &c. *Resp.* nullam esse consequentiam, quoniam exempla ponuntur, ut ad discipulos intelligant; nec requiritur in eis perfecta & in omnibus similitudo, sed ea sufficit quae rem propositam manifestet. Teneat igitur exemplum vestis & indumenti, quo ad identitatem secundum rationem, quae perfectissima est in synonymis; non tenet autem quo ad modum talis identitatis; Nam vestis & indumentum sunt idem etiam secundum rationem, ut dicit conceptum mentis, id est secundum rationem ratiocinantem; glossa vero D. Th. non arceat ad hunc solum modum identitatis secundum rationem, sed illum etiam & praecipue complectitur, qui est secundum rationem, id est diffinitionem significantem rei quidditatem.

Secundo. Diffinitio motus includitur in diffinitione actionis, de qua loquebatur Arist. & similiter in diffinitione passionis; & tamen actio & pas-

Sol. & passio non sunt idem inter se. *Resp.* expositio-
nem illam ultimam, quæ est Sylu. in 2. p. si susti-
nenda est, intelligendam esse aut de ijs, quæ sci-
licet nullum connotant respectum ad extrinse-
cum & de absolutis, aut de sola identitate reali,
qualem habent etiam actio & passio inter se, &c.
Vel dicas Sylu. loqui de rationibus extremorum
adinuicem comparatis, prout vniuntur in ter-
tio.

Obi. 1. cont. *2. gloss.* **CONTRA secundam glossam argum.** Mol.
Primo: In syllogismis non colligimus maius ex-
tremum esse idem cum minori, illa eadem iden-
titate præcisè, qua sunt idem cum medio: sed
absolutè maius extremum conuenire aut non
conuenire minori extremo, propter connexio-
nem, quam vtrumque habet cum medio in præ-
missis. Ergo &c. *Resp.* vt ante diximus, conclu-
sionem semper intelligendam esse secundum eā
veritatem, & sensum secundum quem infertur
ex præmissis, si præmissæ sint propriæ causæ cō-
clusionis; aliās aliquid esset in effectu, quod
non dependeret ex causa &c. Vide supranotata
pro explicatione & defensione prædictæ glossæ,
ex quibus etiā patet responsio ad alia duo argu-
menta eiusdem authoris.

Obi. 2. **CONTRA eandem concl. argum.** Val. *Primo:*
Quia secundum hanc expositionem, idem est ac
si diceremus: Quæ sunt eadem tertio sunt ead-
em illi tertio, illa enim ratio est quoddam ter-
tium. *Respondetur* etsi ratio illa sit quoddam ter-
tium, esse tamen secundum illam rationem in-
ter se idem, non est formaliter esse idem illi ter-
tio, sed esse idem inter se secundum illud tertiu,
ita vt illud tertium habeat rationem quo, extre-
ma verò rationem quod; sunt enim ea quæ sunt
eadem.

Obi. 3. *Secundo:* Secundum illam glossam sic poterit
quis argumentari; Quæ sunt eadem vni tertio
quo ad id, in quo sunt eadem illi tertio, sunt ea-
dem inter se; sed paternitas & filiatio quo ad suā
realitatem sunt eadem vni tertio scilicet essen-
tiæ: Ergo sunt eadem realiter inter se. Et potest
conf. confirmari argumentum ex supradictis in prima
contr. quoniam ratio formalis relationum inclu-
ditur in ratione formali essentia, & e contra. Sit
Solut. hæc est ratio Ban. contra Cai. *Resp.* hoc argumē-
to non cōcludi, nisi paternitatem & filiationem
inter se idem esse quo ad id, quod est ratio iden-
tificationis eorum in tertio, quod est essentia, nō
autem relatio, licet ipsa sit eadem essentia. Ad
ad Conf. confirm. dicitur, quod licet essentia & relatio in
diuinis sint vnius rationis formalis formaliter à
parte rei, differant tamen virtualiter siue fun-
damentaliter: quo fit, vt illa vna & eadem res
simplicissima & infinita, quatenus fundat ratio-
nem essentia communicabilis, sit ratio identifi-
cationis; vt autem fundat rationem paternitatis
& filiationis & rei constituibilis in esse persona-
li incommunicabili, sit ratio oppositionis & di-
stinctionis. Et ex his patet, quomodo possit sus-
tineri glossa Capr. contra Val. sic enim est in-
telligenda, vt quæ sunt eadem vni tertio sint ea-
dem inter se, vel sint eadem alicui quod vtrique
extremorum identificatur, id est secundum eam
rationem, qua vtrique extremorum identificatur;
sic enim erit differens conclusio à præmissis. Se-
cundo patet etiam ex dictis solutio argumentor-
um Valsq. Suar. & Albert. aduersus prædictam
glossam; coincidunt enim cum prædictis.

Ob. cont. 3. *2. gloss.* **CONTRA tertiam glossam argumentatur** Val.
Si vera esset hæc glossa, principium illud solum
haberetur locum in diffinitione & difinito, & in
ijs quæ synonima sunt; Igitur in creatis non re-

A Et inferemus actionem & passionem esse idem
realiter inter se; quia sunt idem realiter vni
motui. *Resp.* primo hoc argumentum idem ferè
sol. esse cum secundo argumento superius relato
contra primam glossam, & eodem modo soluend-
um esse. Secundo dico nullam esse secundam
consequentiam: nam glossa non affirmat, in illis
dumtaxat verum esse principium illud quæ sunt
eadem adæquate vni tertio, sed in his certissi-
mum ac verissimum esse: in alijs autem posse
habere falsitatem, vt patet in diuinis. Nec debu-
it Capr. aut D. Th. explicare sensum illum præ-
dicti principij, quo ad vniuersa creata potest ex-
tendi, aut quo potest esse regula syllogismorum,
B vt existimat Valsq. Et per hæc patet responsio ad
argumentum simile Albertini & Suar. Quod au-
tem ait Suar. nullam talem inadæquatam iden-
tificationem in rebus creatis inueniri, manifestè fal-
sum est; nam actio eadem est inadæquate motui
& similiter passio: licet ex tali inadæquatione
non sequatur realis distinctio. Sed nec etiam hoc
intendit aut significat glossa prædicta.

CONTRA sextam glossam est argumentum
Albertini, quod in expositione prædictæ glossæ
propositum est & solutum. Videndus est Mol-
ina disp. 3. vbi tradit modum discernendi sophis-
mata à veris syllogismis in terminis diuinis; &
C Albertinus in dicto 7. principio, puncto 3. vbi dis-
serit de vsu prædicti principij in materia syllogis-
morum. Et Valsq. c. 3 & Suar. lib. 4. c. 3. in fine.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Deo sint tantum quatuor relationes rea-
les scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod in
Deo non sint tantum quatuor relationes rea-
les scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio. *Infra q. 30. a. 1. cor. Et a. 2. corp. & ad 1.*
Est enim considerare in Deo relationes intelligentis
ad intellectum, & volentis ad volitum. Quæ videntur
esse relationes reales, neque sub prædictis continentur.
D Non ergo sunt solum quatuor relationes reales in
Deo.

2. Præterea. Relationes reales accipiuntur in Deo
secundum processionem intelligibilem verbi. Sed re-
lationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, vt
Auric. dicit. Ergo in Deo sunt infinitæ relationes rea-
les.

3. Præterea. Idea sunt in Deo ab æterno, vt su-
pra dictum est, † non autem distinguuntur abinu-
cem, nisi secundum respectum ad res, vt supra dictum
est: * ergo in Deo sunt multo plures relationes æter-
ne. *† q. 15. a. 2. * q. 15. a. 2.*

4. Præterea. Aequalitas, & similitudo, & iden-
titas sunt relationes quadam, & sunt in Deo ab æter-
no. Ergo plures relationes sunt ab æterno in Deo, quā
E quæ dictæ sunt.

Sed contra. Videtur, quod sint pauciores; quia se-
cundum Philosophum in 3. Phys. * Eadem via est de Li 3. Phys.
Athenis ad Thebas, & de Thebis ad Athenas. Ergo vi-
detur, quod pari ratione eadem sit relatio de pa-
tre ad filium, quæ dicitur paternitas: & de filio ad Pa-
trem, quæ dicitur filiatio. Et sic non sunt quatuor rela-
tiones in Deo. *† Li 5. Me-
ta. text. 20. 10. 3.*

Respondeo. Dicendum, quod secundum Philosophū
in quinto Metaph. † Relatio omnis fundatur, vel
supra quantitatem, vt duplum, & dimidium: vel
supra actionem, & passionem, vt faciens & factum,
pater & filius, dominus, & seruus, & huiusmodi. Cum
autem d. quantitas non sit in Deo: est enim sine quan-
titate magnus, vt dicit August. * Relinquitur ergo,
quod realis relatio in Deo esse non possit, nisi super a-
ctio- *† Li 5. Me-
ta. text. 20. 10. 3.*

c. 1. circa fi. tionem fundata, non autem super actiones, secundū
 c. 11. c. 7. quas procedit aliquid extrinsecum dā Deo: quia re-
 circa prin- lationes Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso, ut
 somo 3. supra dictum est. † Vnde relinquitur, quod relatio-
 D. 1089. nes reales in Deo non possunt accipi nisi secundum d
 D. 555. actiones, secundum quas est processio in Deo intra,
 sed non extra. Huiusmodi autem processiones sunt
 q. 17. art. 3. duae tantum, ut supra dictum est. * Quarum una
 precipue. accipitur secundum actionem intellectus, quae est
 processio verbi: alia secundum actionem voluntatis,
 quae est processio amoris. Secundum quamlibet
 autem processionem oportet duas accipere relatio-
 nes oppositas, quarum una sit procedentis a
 principio, & alia ipsius principij. Processio autem
 verbi dicitur generatio secundum propriam ra-
 tionem, quae competit rebus viventibus. Relatio au-
 tem principij generationis in viventibus perfectis, di-
 citur paternitas. Relatio verò procedentis a principio
 dicitur filiatio. Processio verò amoris non habet nomē
 proprium, ut supra dictum est. † Vnde neg. relationes,
 q. 27. a. 4. quae secundum ipsam accipiuntur. Sed vocatur relatio
 principij huius processionis, spiratio: relatio autem pro-
 cedentis, processio: quamvis haec duo nomina ad ipsas
 processiones, vel origines pertineant, & non ad rela-
 tiones.

Ad primum ergo dicendum, quod in his, in quibus
 dicitur intellectus, & intellectum, volens, & volitum,
 potest esse realis relatio, & scientia ad rem scitam,
 & volentis ad rem volitam. Sed in Deo est idem omni-
 no intellectus, & intellectum: & quia intelligendo se in-
 telligit omnia alia, & eadem ratione voluntas, & vo-
 litum. Vnde in Deo huiusmodi relationes non sunt rea-
 les, sicut neque relatio eiusdem ad idē. Sed tamen re-
 latio ad verbum est realis: quia verbum, intelligitur,
 ut procedentis per actionem intelligibilem, non autem
 ut res intellecta: Cum enim intelligimus lapidem, id
 quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur ver-
 bum.

Ad Secundum dicendum, quod in nobis relationes
 intelligibiles in infinitum multiplicantur, quia alio a-
 ctu intelligit homo lapidem, & alio d. actu intelligit se
 intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelli-
 gere: & sic in infinitum multiplicantur actus intelli-
 gendi, & per consequens relationes intellecta. Sed
 hoc in Deo non habet locum, quia vno actu tantum o-
 mnia intelligit.

Ad Tertium dicendum, quod respectus ideales sunt
 intellecti a Deo. & Vnde ex eorum pluralitate non se-
 quitur, quod sunt plures relationes in Deo: sed quod
 Deus cognoscit plures relationes.

Ad Quartum dicendum, quod aequalitas, & simili-
 tudo in Deo non sunt relationes reales, sed rationis tan-
 tum, ut infra patebit.

Ad Quintum dicendum, quod via est eadem ab vno
 termino ad alterum, & e converso, sed tamen respectus
 sunt diversi. & Vnde ex hoc non potest concludi, quod
 eadē sit relatio patris ad filium, & e converso. Sed pos-
 set hoc concludi de aliquo absoluto, si esset medium in-
 ter ea.

Sensus quaest.ii.

IN hoc articulo differit S. D. de modo essen-
 di diuinarum relationum, quo ad earum nu-
 merum. In cuius titulo aduerte duo. Primum est,
 duo in eo claudi quæ sita; alterum primum de
 numero diuinarum relationum: & alterum se-
 cundarium de nominibus earum. In primario
 verò duo continentur quæ sita; duas enim habet
 exponentes propter dictionem exclusiuam; una
 est, an sint quatuor relationes? altera, an sint
 plures? Et contra priorem partem militat argu-
 mentum sed contra. Aduersus verò posteriorem

militant alia. Secundum est, hic nomine spirationis
 intelligendam esse spirationem actionis; nā pas-
 siva spiratio non distinguitur ab ea relatione quæ
 est processio.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. In Deo sunt tantum quatuor
 relationes reales. Probatur. In Deo non potest
 esse relatio realis nisi fundata super actiones, se-
 cundum quas attenduntur processiones in diui-
 nis ad intra, quæ processiones sunt duæ tantum;
 quarum una accipitur secundum actionem in-
 tellectus, quæ est processio verbi; alia secundum
 actionem voluntatis, quæ est processio amoris.
 At secundum quamlibet processionem oportet
 accipere duas relationes, quarum una sit proce-
 dentis a principio, & alia ipsius principij: Ergo
 sunt quatuor tantum relationes in Deo. Maior
 propositio duas habet præcipuas partes. Prior
 est: Non potest esse relatio realis in Deo, nisi
 fundata super actiones immanentes, secundum
 quas est processio in Deo. Probatur hæc pars di-
 stinguendo fundamenta relationum realium ex
 Arist. 5. Metaph. cap. de ad aliquid. Nam omnis
 relatio fundatur, vel super quantitatem ut du-
 plum & dimidium, vel super actionem transe-
 untem & passionem, ut faciens & factum, domi-
 nus & seruus & huiusmodi &c. aut super actio-
 nem immanentem, ut relatio dicentis ad verbum
 & e contra; At relationes in Deo reales non pos-
 sunt fundari super quantitatem; quia quantitas
 non est in Deo qui sine quantitate magnus est, ut
 inquit Augustinus; nec super actionem transe-
 untem; quia relationes Dei ad creaturas non sunt
 realiter in ipso, ut supra dictum est q. 13. art. 7.
 Relinquitur ergo ut relationes reales in Deo esse
 non possint, nisi secundum actiones, secundum
 quas est processio in Deo ad intra, quæ sunt in-
 telligere & velle. Posterior verò pars maioris
 relinquitur nota ex dictis in questione precedente.
 Minor autem fertur secum suam probationem in
 illis verbis. Quarum una sit procedentis &c.

SECUNDA CONCL. quæ respondetur ad secun-
 dam partem quaest.ii est. Prædictæ quatuor relatio-
 nes reales dicuntur paternitas, filiatio, spiratio &
 processio. Probatur primò quo ad duas priores;
 Processio verbi in diuinis dicitur generatio se-
 cundum propriam rationem qua competit rebus
 viventibus: At relatio principij generationis
 in viventibus perfectis scilicet animalibus, dicitur
 paternitas, relatio verò procedentis a prin-
 cipio dicitur filiatio. Ergo &c. Deinde proba-
 tur conclusio quo ad reliquas duas relationes.
 Processio amoris non habet nomen proprium,
 ut supra dictum est; ergo neque relationes, quæ
 secundum ipsam accipiuntur, habent proprium
 nomen: Igitur inhærendo doctrinæ quaest.ii
 præcedentis art. 4. relatio principij huius pro-
 cessionis vocatur spiratio: relatio autem proce-
 dentis processio; quamvis hæc duo nomina ad ip-
 sas processiones vel origines pertineant, & non
 ad relationes; quibus verbis occurrit S. D. obie-
 ctioni tacitæ.

Expositio Textus.

AD Huius litteræ intelligentiam quinque
 sunt diligenter adnotanda. Primum est, S.
 Thomam in hoc art. loqui de relationibus reali-
 bus quibus res eiusdem ordinis aut etiam eius-
 dem nature referuntur ad inuicem: hæc verò sunt
 & dicuntur relationes mutuae, non solum forma-
 liter sed etiam realiter; quia scilicet vterque
 rela-

relationis terminus realem habet ordinem & respectum ad alterum; quamobrem S. D. hic non recensuit relatiua tertij modi apud Arist. *5. Metaph.* quæ sunt mensuræ & mensurabiles; hæc enim non sunt inter res eiusdem ordinis, atque ideo non sunt mutua quo ad realitatem & ad rem propositam minimè pertinebant.

Secundum est, quod hic obseruat Caiet. ex D. Th. de pot. Dei. q. 7. a. 9. nimirum diuisionem illam fundamenti relationis realis quo ad quantitatem intelligendam esse sub diuisione scilicet vel secundum rem vel secundum modum, id est, aut de quantitate prædicamentali, aut de re modum quantitatis habente, prout vnum in substantia facit idem, & sic fundat relationem identitatis; & vnum in qualitate facit simile, & numerus siue multitudo diuersum in eisdem & dissimile, secundum quod aliquid magis vel minus consideratur; sic enim vnum album altero dicitur albus, vt ibidem ait S. Th. Constat autem vnitatem & numerum ac multitudinem modos quosdam exprimere quantitatis. Et quamuis inueniatur in diuinis modus quantitatis: cum sit in Deo vnitas essentie, & magnitudo, quæ nihil est aliud quàm perfectio naturæ ipsius, vt ait S. Th. *infra q. 42. a. 4.* quæ substantiæ vnitas & magnitudo relationem fundat similitudinis & æqualitatis inter personas in vna diuinitatis essentia subsistentes; quia tamen huiusmodi relationes in Deo non sunt reales, sed rationis tantum, vt probat S. D. *infra q. 42. a. 1. ad 4. & ibid.* Cai. & hic non erat locus agendi de æqualitate, & similitudine personarum diuinarum; idcirco satis fuit doctrinæ presentis articuli relationem illam realem à diuinis excludere, quæ materialem consequitur quantitatem; earum verò quæ ad vnitatem & magnitudinem diuinæ naturæ consequuntur, disputationem proprio loco reseruare, veritatem interim significando, vt hic apparet in respons. ad 4. Ex quo patet vanam esse censuram Molinæ de efficacia rationis D. Th.

Responsum est
sua Molin.

Solutur ap-
parens con-
tradictio D.
Th.

Tertium est, D. Th. hic docere prædictas quatuor relationes fundari in actionibus immanentibus: cuius oppositum videtur affirmare in *1. dist. 26. q. 1. a. 1.* vbi docet eas fundari supra naturam diuinam. Solutur autem siue conciliatur hæc apparens contradictio distinguendo considerationem naturæ & actionis diuinæ, quæ potest esse duplex: Vno modo sumendo diuinam naturam siue essentiam præcisè, & similiter actionem præcisè; & hoc modo neque essentia neque actiones fundamenta sunt relationum; Nam si sola esset essentia, quæ relationes fundaret, non possent abinuicem realiter esse distinctæ: si verò solæ sumantur actiones immanentes præcisè natura, nec processio verbi esset generatio personæ subsistentis, nec processio amoris esset spiratio personæ Spiritus sancti, ac proinde non essent illæ quatuor sed aliæ longè diuersæ relationes in Deo. Alio itaque modo possunt essentia diuina & actiones considerari, quatenus vnum est sub alio, scilicet essentia sub actione & passionem; & hoc modo essentia prout est in Patre & ab eo communicatur Filio per generationem, fundat relationem paternitatis; & eadem prout est in Filio à Patre per generationem accepta, fundat relationem filiationis. Et eodem modo loquendum est de fundamento reliquarum duarum relationum, quod etiam significauit S. D. in allegata distinctione vbi sic loquitur. Paternitas, & filiatio habent fundamentum in re scilicet naturam ipsam, quæ communicantur secundum communicationem naturæ. Quibus verbis naturam

A sub actione significauit, quæ ratio propria & formalis est fundandi relationes prædictas, & ideo solam hic actionem expressit: quia formaliter loquebatur, vt etiam aduertit Capr. in *1. dist. 31. q. 1. a. 2.* Scoti contra 2. par. concl. quem sequitur Iauellus super hoc a.

Quartum est, cum ait S. D. ex qualibet processione consequi tantum duas relationes reales, quarum vna sit procedentis à principio, & alia ipsius principij &c. intelligendum esse in subiecta materia diuinorum, de quibus loquimur. Deinde extendendo propositionem hæc ad omnem etiā processionem creatam verissima est per se, & immediatè loquendo; Nam cum filius in humanis generatur à Patre, plures aliæ relationes reales emergunt præter paternitatem & filiationem, nimirum æqualitas aut inæqualitas, similitudo aut dissimilitudo, quæ sunt relationes reales; sed hæc relationes non per se ac immediatè cōsurgunt ex generatione vt generatio est, sed vt talis est; quia scilicet est communicatio naturæ cum eius diuisione; habet enim humanitas in Socrate Patre, & in Platone filio realem distinctionem numeralem & esse diuersum: ex qua diuersitate cum vnitatis specificæ fundamento sequuntur relationes prædictæ & aliæ plures.

Quintum est, non omnes quatuor prædictas relationes distingui realiter abinuicem, sed tres earum tantum, videlicet paternitatem, filiationem & processionem; Spiratio verò quæ relatio est communis Patri & Filio, eadem est realiter cum relationibus paternitatis & filiationis. Nam in diuinis non est realis distinctio, nisi per oppositionem relatiuam; prædictæ verò tres relationes scilicet paternitas, filiatio & processio realem habent oppositionem adinuicem; Spiratio verò nec paternitati opponitur neque filiationi; quamobrem nec ab eis realiter, sed ratione tantum distinguitur absolutè loquendo; alioquin non esset trinitas in diuinis, sed quaternitas. Verum, quæ sit inter spirationem & prædictas duas relationes distinctio, latissimè disputabitur *inf. q. 32. a. 2.* Vide etiam, si placet, dubitationem hic propositam & solutam à Iauel. & aliam apud Zumel. Vide etiam D. Th. in *1. dist. 29. q. 1. a. 3.*

Postremò aduerte relationem verbi ad dicentem, & è contra, relationem imaginis, & relationes distinctionis vnius personæ, vel relationis ab alia, non ponere in numerum cum prædictis, vt suis locis ostendetur. Vide, si placet, quæ scribit Suar. lib. 5. de relat. diu. c. 2.

QUAESTIO XXIX.

De personis diuinis, in quatuor articulos diuisa.

PRæmissis autem his, quæ de processionibus, & relationibus præcognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de personis.

Et primò secundum considerationem absolutam, & deinde secundum comparatiuam considerationem. Oportet autem absolutè de personis, primò quidem in communiconsiderare, deinde de singulis personis.

Ad communem autem considerationem personarum quatuor pertinere videntur: primò quidem significatio huius nominis persona. Secundo verò numerus personarum. Tertiò, ea quæ consequuntur numerum personarum, vel ei opponuntur, vt diuersitas, & similitudo, & huiusmodi. Quarto verò, ea quæ pertinent ad notitiam personarum.

Circa primum queruntur quatuor.

Primò, De diffinitione persona.

Secundo, De comparatione persona ad essentiam.

H 4

sub